HUMILIS ET SUPPLEX QUERIMONIA IACOBI ZEGERS TYPOGR. LOVAN. ADVERSUS LIBELLUM R.P.S.I...

John Barnewall, Patrick Brennan

AD LECTOREM.

QVia hæc tertia editio cæteris plenior, & gemina insuper SPONGIOLAE & CLYPEI appendix accessit, Theses PP. Minorum Hibernorum, & Approbationes DD. Parisiensium recudere supersedimus, ne Libelli molem nimiùm gravaremus. Deinde plerique alteram priorum editionum, & unà Theses, ac Approbationes illas jam habent, ut necesse non sit, eas iterum sibi comparent. Hoc volebam, ne consilij nostri ignarus esses, & vale Lector.

SVbditus & humillimus Celſitudinis Suæ ſervus, IACOBVS ZEGERS Typographus Lovanienſis ad genua & pedes C. S. procidit, ut ſubditiſſimi ſui preces & juſtas Querimonias tantiſper audire dignetur.

Obtulit nuper Celſ. Suæ Libellum Reverendus Pater Societ. Regiæ Veſtræ Capellæ Concionator, adverſus R^mi D. Cornelij Ianſenij, Epiſcopi Iprenſis, quem typis evulgavi AVGVSTINVM, rogatque Celſ. Suam, ut ſuſceptum benignè nuper ejus libri patrocinium abijciat; ut ab omni ope humana deſerti faciliùs ipſe Socijque ejus impetrent proſcriptionem. Id enim Romæ apud S. Inquiſitionem agitare dicuntur, oblato etiam in eam rem ab eodem Suæ Celſ. Concionatore, Libello Emin. Cardinali de de la Cueva. Quæ omnia tendunt in graviſſimum rei meæ familiaris detrimentum & ruinam. Magnis enim impendijs librum excudi, & plurima adhuc exemplaria domi habeo, & quæ miſſa foras ad Bibliopolas, ad me redibunt, ſi liber hæreſeos infametur, aut ſupprimatur venditio.

Viri tamen paſſim ubique pijſſimi eruditiſſimique, præcipuè è Religioſorum Clauſtris, qui nullo hîc, niſi veritatis affectu laborant, Opus illud ut divinum & cælo delapſum ardentiſſimè amplexantur. Divinam enim & profundiſſimam Sancti Auguſtini de gratia Theologiam, tantâ eruditione & inuſitatâ multis ſæculis luce, omnium oculis exponit, ut cæcos eſſe oporteat, qui intimas profundiſſimi Doctoris, quæ latebant, fibras jam non videant. Ita à Theologis hîc accepi, Sereniſſime Princeps, qui in arcana

iſta Deo duce, altiùs ſe penetraverant, quàm ego potui. Quidquid enim apud Celſit. Suam hic narro & diſſero, aliena ſunt, non nata in meo fundo.

Ad hanc autem novam Ianſeniani AVGVSTINI lucem præcipuè illi exultant, qui internæ orationi divinæque contemplationi magis ex profeſſo addicti, & à mundo rebuſque ſenſibilibus averſi, in fundum animæ ſuæ converſi, cum Deo ſuo dulciter & tranquillè habitant. Hi enim in S. Auguſtini & Ianſenij Theologia, vitæ ſuæ & exercitiorum ſolidiſsima fundamenta reperiunt, miranturque tam firmiter nixa eſſe, quæ alij quidam nullo concepta fundo, in aëre tantùm nutare credebant. Iam intelligitur, quo pede & baſi ſtet Theologia Myſtica, & Apothecæ illæ divini amoris Thauleri, Rusbrochij, Harphij, Bloſij, quos vitæ ſpiritualis habuiſſe duces P. Leon. Leſsius ingenuè fatebatur, ut teſtes Auctores vitæ ejus, ſcriptæ à Patribus Societ. Lovanienſibus, editæ verò nuper curâ D. Thomæ Courtois Advocati Bruxellenſis.

* Excitatus juſto zelo, quo diſcipulus affici debet erga honoré ſui Magiſtri; eoque magis, quando Magiſter tã magnus quàm P. Gabr Vaſqu. fuit.

Sed quæ cauſa R. P. Concionatorem impulit, ut R^mum D. Ianſenium tam divinę & amabilis Theologiæ inſtauratorem, ad S. Inquiſitionis tribunal, tanquam hæreticum, vocaret, & toto Orbe Chriſtiano proſcriptum vellet? * *Movido*, inquit ad Emin. Cardinalem de la Cueva, *del juſto zelo, que un diſcipulo debe tener en honor de ſu maeſtro, y mas ſiendo tan grande el maeſtro como fue el P. Gabriel Vaſquez.* Quod autem tam infandum nefas in P. Vaſquez deſignavit Ianſenius, ut propterea tanto zelo & tam maſculâ bile in eum efferveſceret magni Magiſtri diſcipulus? Quia nempe Ianſenius auſus eſt dicere: *Imperitiam doctrinæ S. Auguſtini tantam in Vaſquez paſsim apparere, ut alienis, non ſuis oculis illius ſcripta legiſſe videatur.* Deinde cenſuram

ejus

ejus in S. Augustinum *esse insolentem, temerariam, & imperitam.*

Dixerat enim P. Vasquez, *ex opinione S. Augustini de peccato originali, nos cogi incidere in sententiam Pelagij.* Vbi rem tam indignam non ferens Iansenius: *Quid enim,* inquit, *magis temerarium dici potest, quàm Augustinum, cui soli Pelagianæ hæresis extirpationem Ecclesia hactenus acceptam tulit, illam opinionem docuisse, ex qua necesse est in eandem hæresim incidamus?*

Alibi P. Vasquez ait: *Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Augustini, sed existimo aliter philosophandum;* aliaque id genus sparsim, quæ Iansenij illam castigationem, & si Confratri ejus Francisco Suarez credimus, severiorem fortasse merebantur. Eum enim de auctoritate doctrinæ & Philosophiæ Augustinianæ, si placet, audiamus. *Apostolica Sedes,* inquit Suarez, *S. Augustini doctrinam de gratia in his quæ ad dogmata pertinent, suam effecit ac probavit.* Et recitatis verbis Ioannis II. Papæ qui ait, *S. Augustini doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia;* addit Suarez: *Hæc maxime habere verum in doctrina quam Augustinus de gratia tradidit. Nam illius ductum, judicium secuta Romana Ecclesia, inimicos gratiæ Christi prorsus evertit ac de illis triumphavit.* Et cùm dixisset, id intelligi non de omnibus universim Augustini quæstionibus, sed illis tantùm quæ in Conc. Arausicano, aut Pontificum decretis *præscriptis verbis, ac certis canonibus digesta essent;* addit tamen: *Hinc verò colligere possumus, quidquid Augustinus de gratia docet, quod cum illis Ecclesiæ definitionibus sit necessario connexum, OMNINO SEQVENDVM ET TANQVAM CERTVM TENENDVM ESSE, quia totum illud, licet non expressè, virtute est ab Ecclesia probatum.*

Franc. Suarez Prol. 6. c. 6. de Gratia.

Atenim pleraque omnia quæ omnibus libris disse-

rit adversus Pelagianos Augustinus, miram & arctissimam connexionem habent, totaque Pelagiana hæresis ita catenatim devincta est, ut si minimum concedatur, universa catena sequatur, ut acutè & prudenter olim advertit & cecinit S. Prosper.

S. Prosper carm. de ingratis.

Perspectum notumque tenens, quòd tota nefandæ
Hæreseos summa exiguâ sub parte tegatur;
De qua plena mali labes renovetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.

S. Prosp c. 44. contra Collat.

Et adversus Cassianum: *Hujusmodi hominum* (Massiliensium) *pravitati*, inquit, *non tam disputationum studio, quàm auctoritatum privilegio est resistendum; ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat, prætentæ correctionis imagine, aliquod sibi fæventium radicis suæ germen excipere, totam se posse in exigua parte reparare. Vbi enim non aliud habet summa, quàm portio, non est devotionis dedisse propè totum, sed fraudis retinuisse vel minimum.*

Vnde Semi-Pelagiani, re vera Pelagiani sunt, & si consequenter philosophari velint, in mediam hæresim, unde exisse videbantur, retrahi possunt.

Progressus deinde Suarez, *Vlterius addimus*, inquit, *quidquid in hac materia Augustinus ut certum affirmat, & ad dogmata fidei pertinens, à quolibet prudente & erudito Theologo esse tenendum ac defendendum, etiamsi non certò constet esse ab Ecclesia definitum; tum quia, cùm Ecclesia tantùm in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in damnandis erroribus gratiæ Dei contrariis secuta fuerit, MAGNA ESSET TEMERITAS PRIVATI DOCTORIS, qui Augustino aliquid de gratia Dei, tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet. Præsertim cùm tot annis tantâ sapien-*

tiâ, tanto ingenio, tantâ diligentiâ & instantiâ, & quod caput est, tot Dei donis & auxilijs præditus pro divina gratia tuenda & explicanda laboraverit.

Atqui Augustinus pleraque dogmata sua tanquam orthodoxa, & ex intimo sacræ Scripturæ sensu deprompta docet, & congestis undique verbi divini testimonijs firmat. Vnde omnia illa *à quolibet prudente & erudito Theologo esse tenenda ac defendenda*, censere debet Suarez.

Viderit ergo, quàm prudens & eruditus fuerit P. Vasquez, contra quem hæc Augustini Elogia & eximiæ laudes dirigi à Suario, existimant eruditi: viderit, quàm prudens & eruditus Confrater ejus Mariana, qui, *Non omnes*, inquit, & se inter eos esse ostendit, *Augustini in eo* (prædestinationis negotio) *sententiam probant: horrida multis videtur & aspera.* Ioan. Marian
Alibi, *video*, inquit, *quæ à Cassiano* Semi-Pelagiano, lib. 3. c.
dicta sunt omnia de gratia & libero arbitrio, à viris eruditis 6. 8. de morte
(quinam isti, non difficilis est conjectura) *nostrâ ætate* & im-
defendi, quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula mortali
sancta.

Denique concludit Suares: *Nihil tam admirandum & suspiciendum Ecclesiæ reddidit Augustinum, quàm doctrina de gratia. At si in ea tradenda & explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus, multùm labefactaretur ejus auctoritas, immeritoque Ecclesia tam fidenter judicium ejus in hac doctrina tradenda fuisset secuta; QVOD IMPIVM ESSET COGITARE. Vnde tandem concludo*, inquit, *non tantùm in rebus quas Augustinus certas existimat, sed etiam in his omnibus quæ simpliciter tanquam & probabiliora constanter, & ubique amplectitur, SENTENTIAM EIVS ESSE PRÆFERENDAM; nisi communis Patrum & Ecclesiæ auctoritas obstare videatur; quod rarò vel nunquam continget.*

Præter enim divinum lumen, quo se à Deo illustratum,

ſtratum, ſæpe memorat S. Auguſtinus, quis naturales illas ingenij dotes non obſtupeſcat, quas breviter comprehendit Angel. Politianus? *Sancti Auguſtini*, inquit, *tam altè niſa in omnibus fermè diſciplinis eſt auctoritas, ut extra omnem ſit aleam; ſic ut ab ea jam ne tranſverſum quidem unguem recedi, fas habeatur. Etenim tantâ ingenij conſtat eum celeritate viguiſſe, ut quidquid de arte loquendi, & diſſerendi, quidquid de dimenſionibus figurarum, de Muſicis, de numeris præcipitur, etiam ſine magna difficultate, nullo hominum tradente perceperit: tanto deinde acumine præſtitiſſe diſputandi, ut jure in uno iſto potiſſimùm, totius veritatis niti patrocinium videatur.* Vnde præter omnia S. Proſperi & ſequentium PP. diſcipulorumque de Magiſtro Auguſtino encomia, meritò de eo exclamat Sanctus & eruditus Paulinus: *O verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſeculi vaneſcere errore, condiuntur. O lucerna dignè ſupra condelabrum Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis urbibus de ſeptiformis lino paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licet hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum, ſplendore clarifici ſermonis enubilas.* Et deinde admirationis ſuæ, & amoris ecſtaſim agnoſcens: *Vides*, inquit, *frater unanime, admirabilis in Chriſto Domino, & ſuſcipiende, quàm familiariter agnoverim te, quanto admirer ſtuporè, quàm magno amore complectar: qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, & oris tui ſpiritu veſcor. Os enim tuum FISTVLAM AQVÆ VIVÆ ET VENAM FONTIS ÆTERNI meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ ſalientis in vitam æternam Chriſtus effectus eſt.*

Angel. Polit. c. 1. Miſcel.

S. Paul. Epiſt. ad S. Auguſt.

Igitur ſi S. Paulino credimus, Chriſtus fons eſt unde ſalit aqua vitæ, id eſt, gratia; vena & fiſtula, quâ fons aquam illam vomit & explicat hominibus, os eſt Auguſtini.

Vnde quid de Theologia eorum, qui de alio, quàm

S. Au-

S. Augustini tubulo hanc aquam excipiunt, censeat Suarez, inspiciamus.

Ac quidem de Confratre suo Gabriele Vasquez, in materia illa *cogitationis congruæ*, quam Vasquez pro gratia Christi obtrudit, & ubique, ut à se inventam dissuaviatur: *Consequens quod concedit Vasquez locis citatis*, inquit alicubi Suarez, *est alienum à sententia S. Augustini, & vix potest à Semi-Pelagianorum reipsa, à nobis distingui, licet verbis differre videatur, ut infra* (in libris nondum in lucem editis) *disputando de auxiliis gratiæ ex professo tractandum est.* Franc. Suarez lib. 1. c. 17. de grat.

Alibi magis impressè dicit, sententiam Vasquez *destruere veritatem internæ gratiæ, & nihil in re differre ab errore Pelagij*. O si hoc Iansenius ausus fuisset, non tantùm esset * *Salitre, por los tiros que haze à tales maestros*, ut loquitur in Libello ad Emin. Cardinalem de la Cueva P. Concionator, sed plusquam Lutherus & Calvinus. Franc. Suarez lib. 1. c. 16. de prædest.

* Salinitrû propter jacula fulminea, quibus tales Magistros petit.

Nec ibi stat Suarez, sed pergit: *Quæ sanè*, inquit, *omnia* (quæ sequuntur ex opinione Vasquez) *toleranda non sunt. Nam doctrinam Pelagij plane continent, nec Catholici Doctores* (Vasquez & Vasqueziani) *cum quibus disputamus, illa concedunt: sed quod optamus, est, ut nos doceant modum firmum, & solidum vitandi hæc incommoda.* Quia toto suo acumine vir acutissimus nullam rimâm videre poterat, quâ Vasqueziani Pelagianæ hęresis retia evadere possent.

Ex eadem deinde Vasquij sententia infert Suarez aliud *consequens*, inquit, *quod coincidit in re ipsa cum errore Semi-Pelagianorum, & est contra intentionem Conciliorum illum errorem damnantium.*

Ac deinde, *Profectò*, inquit, *licet verba mutentur, rem eandem esse credimus.* Et tandem, *Ob solam*, ait, *illam cogitationem & congruitatem ejus, non potest dici, quòd bonum*

opus morale necessariò sit ex gratia, nec ad vitandum Semi-Pelagianorum errorem talis appellatio gratiæ deservit, sed potius ad illum tegendum & occultandum.

Hæc sunt vulnera quibus se domi, quasi silentio, confodiunt Cadmæi fratres, adversus alios, si minimo digito tangantur, tam vocales & clamosi. Sed præclarum est Emin. Bellarmini de Vasquij, Molinæ, Lessij gratiâ efficaci, testimonium: *Hæc opinio*, inquit, *aliena est omnino à sententia ser plurarum divinarum, & evertit omnino fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. August. ex divinis litteris solidissimè comprobavit.* Vnde postea *An.* M. D. C. XIII. à *R. P. N. Claudio Aquaviva Societ. nostræ Præposito Generali, post diuturnam & diligentem hujus rei discussionem, Decreto peculiari improbata est*, inquit Tannerus; & deinde verba Decreti refert, quibus *mandat, ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate, Societas eam opinionem sequatur, quæ in controversia de auxilijs divinæ gratiæ, coram summis Pontificibus piæ memoriæ Clemente VIII. & S. D. N. Paulo V. tanquam magis consentanea SS. Augustino & Thomæ, gravissimorum Patrum judicio explicata & defensa est.* Cui Decreto, & R. P. Præposito suo Generali, quâ ratione obedientes sint Patres Societ. Lovanienses, & quâ fide jactent, judicio Sixti V. victorem Patrem Lessium in conflictu Lovaniensi, & opinionem ejus titulo *doctrinæ sanæ*, à Pontifice esse honoratam, disputantibus relinquo. Certè victor esse non potuit, nisi per opinionem de gratia efficaci à R. P. ræposito suo Generali, & Patribus illis sub Clemente VIII. & Paulo V. proscriptam: à qua ita resiliebat & abhorrebat R. P. Generalis, ut cum R. P. Marcus Timpelius (quem sæpè narrantem audivimus) statuisset eum de ea re interpellare, & conari in sententiam P. Lessi paulisper inflectere, monitus fuerit à socio R. P. Generalis, *Ne quæso sententiæ illius mentionem apud R. Patrem Generalem insereret,*

Bellar. Lib. 1. c. 12. de grat.

Tanner d. 6. q. 6. d. 5. de grat.

injiceret, aliàs futurum, ut in apoplexiam (verba R.P. Marci sunt) *aut deliquium animi incideret.*

Quæ cùm in Belgium reversus, P. Lessio retulissem, addebat P. Marcus: *Verum est*, respondit Lessius, *Reverendus Pater noster Generalis valde adversatur meæ sententiæ, sed paratus sum illam defendere in die judicij, & pro ea mori.* Tam enim huic suæ opinioni de gratia efficaci, & prædestinatione addictus fuit, ut contrariam, quæ SS. Augustini & Thomæ est, *Absurdam*, aut *parere scandalum & vitæ licentiam*, sæpe dictitaret.

Talibus igitur armis jactant P. Lessium de Academia Lovaniensi nuper triumphasse, & cùm Christianis non liceat veris laudibus se alijs præferre, falsis conantur antecurrere.

Falsò deinde, negotium controversiæ Bajanæ cum disputatione illa Lessiana permiscere student; quasi Facultas Theologica Lovaniensis articulos à Sede Apostolica prohibitos voluerit adversus Patrem Lessium sustinere. Nam *causa tempestatis fuit*, inquiunt in Imagine primi sæculi Societ. *primi nominis & auctoritatis Doctor Theologus* (Michael Bajus) *qui varia doctrinæ suæ capita non sanam fidem redolentia supremo Sedis Apostolicæ imperio solemniter ejurare compulsus, coram Francisco Toleto homine Societatis, Apostolico in eam rem Legato, & paulò pòst S. R. E. Cardinale, quasi honoris sui vindicias acturus; quam ipse notam contraxerat, eamdem visus est immerenti Lessio inurere voluisse. Et conantem illum Doctissimus quisque Facultatis Theologicæ, tanquam communem injuriam ulturus adjuvabat.* Præstigiæ & fuci vanissimi sunt. Respiciantur tantùm Tituli controversiæ Lessianæ in c. v. Vitæ ejus, & falsitas illius *Imaginis sæculi* deprehensa erit. Nam post publicatum Lovanij An. MD. LXXX. à P. Toleto Pontificium diploma, à Bajano tumultu omninò silentium

erat, nec Facultas Theologica unquam, sed solus Michael Bajus isti causæ se immiscuerat. P. Lessio verò in doctrina gratiæ efficacis, & quibusdam alijs articulis, pro Augustini sui defensione, universa Facultas viriliter se opposuit. Vtra pars autem palmam tulerit, præter jam narrata, inspiciantur Apologiæ & Antapologiæ, quæ in multorum hodie manibus versantur, & cuilibet erudito mox apparebit, quàm invicta & immobiliter in acie sua stet cum Duacensi Academia Lovaniensis, quàm flaccidè & infirmiter P. Lessius cum socijs.

Vt autem ad P. Vasquez redeam, ignoscimus zelo & naturali amori R. P. Concionatoris in suum Magistrum. Quem tamen speramus jam paulisper remittere, ubi intellexerit à Patribus ejusdem Societ. acerbiùs, quàm à Iansenio vapulare. Et sane, neminem recentiorum Scholasticorum sæpius in Philosophia, & omni Theologia videmus ab alijs passim rejici! & velut ipse argumenta cæterorum, ut *frivola*, peculiari suo epitheto, solet contemnere, ita vicissim rationes ejus non rarò velut *frivolæ*, aut *parvi momenti*, vel *Vasquez secum pugnat*, à Patre Suarez & alijs solent honorari.

Eximij & Doctissimi Scholastici, in hac Academia nuper Professores, quoties mentio P. Vasquij incidisset, dicere solebant, *Se ad refellendum Vasquium non alio Auctore, quàm Vasquio indigere*. Ita infirmiter, eorum sententiâ, aliena destruit, ita perfunctoriè stabilit propria. Marmorea Thomistarum aut Scotistarum palatia evertit, aut se facere putat, & eorum loco reponit stramineas casas & tuguria. Non in contemptum boni & doctissimi Patris hæc vadunt, qui multa eruditè & acutè commentatur; sed ut ostendatur non esse tanti, quàm discipuli affectus eum extulit. Acu-

mine

mine enim ingenij sæpe ultra veritatem errat: æmulatione deinde in Confratrem suum P. Suarez, cujus doctrinam ubique admordet, ubi potest, & Hispani qui cum utroque vixerunt, fatentur.

Legat etiam deinde, si placet, R. P. Concionator, quid Patres sui ordinis in Thomistas, Scotistas, aliosque aspere & cum mordaci censura dicant, & bilis ejus in Iansenium fortasse detumescet.

P. Lessius *prædeterminationem* Thomistarum comparat errori Wiclephi, Lutheri, Calvini, *Quòd omnia de necessitate absoluta eveniant: Quòd liberum arbitrium sit figmentum in rebus, & titulus sine re.*

Tantundem ferè P. Suarez: qui etiam Conc. Tridentino eam repugnare scribit; qui *judic o* quoque *Præct co* Thomistarum, & Emin. Cardinalis Bellarmini, liberum arbitrium prosterni credit: & plurima alia duriter & mordaciter dicta per Auctores Societ. sparsa, cui vacat, colligere licet.

Verùm duas præcipuè hæreses ex AVGVSTINO Iansenij, tanquam maximè notabiles ac deformes Serenissimo Principi R. P. Concionator repræsentat.

Primò, quòd Concil. Trid. dicat: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*: Iansenius verò id negare videatur, & affirmare, tantùm mortuum esse pro electis, qui beneficium illud mortis recipiunt.

Sed idem olim objectum S. Augustino à Semi-Pelagianis. Vnde idem responderi potest R. P. Concionatori, quod S. Prosper illis: *Cùm rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem* (& sic Trid. verum dixit) *potest tamen dici* (& sic S. Aug. & Iansenius S. Prosp. c. 9. ad Capitu. Gall.

S. Prosp. Resp. 1. ad object. Vincent. discipulus ejus non erravit) *pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Et alibi; *Cùm propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sunt eruti, REDEMPTIONIS PROPRIETAS HAUD DUBIE PENES ILLOS EST, de quibus Princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Et tamen hoc affirmat ille Prosper, qui se profitetur *in nullo recedere à tramite earum definitionum, quæ in S. Augustini disputationibus continentur.*

Atque hæc est capitalis illa, si Deo placet, Iansenij hæresis, cujus etiam fama, cum Auctoris infamia, per Religiosarum Claustra, Devotarum Conventicula, imò olitricum & lanionum scamna, Lovanij ambulat; mirantium, quâ ratione Iansenius tam apertè hæreticus in Doctorem Theologum, ac deinde à Serenissimo Principe Cardinale in Episcopum Iprensem sit assumptus.

Bruxellæ quoque Indiculus non paucorum Articulorum, viris & feminis nobilibus intrusus, in infamiam doctrinæ Auctoris, it per manus; quod olim etiam Massilienses imitati. *Quidam Christianæ fraternæ charitatis obliti*, ait de Semi-Pelagianis Massiliensibus S. Prosper, *in tantum ex stimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim & qualibus possunt sententijs comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur Indiculo.* Nolim tamen tam asperè de R^mi^ D. Iansenij adversarijs: & de tota doctrina non meum, sed Apostolicæ Sedis Iudicium esto.

S. Prosp. præfat. ad object. Vincent.

Et alibi

Et alibi: *Doctrinam (inquam) sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decemptores, per multos annos Apostolicè asseruit, literisque mandavit) quibusdam visum est aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui judicio eorum ducebantur, afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum Indiculis prædicarent, talique commento & detestationem ejus quem impeterent, obtinerent, & ab his quæ infamassent, curam exterriti Lectoris averterent.* S. Prosp. Præfat. ad Capit. Gallor.

In Indiculo illo Bruxellensi, Articuli ferè sunt THESIVM Lovanij defensarum, & iste inter cæteros insignis: *Commixtio inter conjuges, extra spem prolis generandæ, nunquam est licita: sive cum vetula, infœcunda, gravida, menstruata, semper est illicita. Iansen. tom. 2. Colum.* 342. & 343.

Qui sanè Articulus videtur selectus & comparatus ad armandos, non tantùm Sardanapalos & Heliogabalos, sed Messallinas & Faustinas in miserum Iansenium; ut facto in eum agmine, tanquam Orpheus à Mænadibus discerpatur. Aliàs ad mitigandam invidiam addere debuerant, peccatum solùm esse *veniale*, nec idcirco in infernum descendi. Sed præstat audire castissima & sanctissima verba Iansenij.

Nihil propter voluptatem, inquit, *ne quidem extorquente libidinis importunitate, à creatura rationali decet fieri: utpote cui ad fines illos dominante ratione collimandum est, ad quos res unaquæque, naturalis ordinis rectitudine, instituta est: Qua de causa quod in prædictis locis S. Augustinus præscripsit de concubitu conjugum VENIALITER malo generatim, hoc alibi deducit explicatius, particulatim omnes concubitus resecando, in quibus eorum infirmitas peccat.* Recitat deinde verba sui Magistri, quæ adversarij silent, ne videan- Iansen. lib. 2. c. 10. de statu naturæ lapsæ.

videantur eum in discipulo oppugnare. *Pudicitia conjugalis*, ait Augustinus, *in ipso thoro conjugali, conflictu fortiore belligerat, ne ultra quàm generandis filijs satis est, etiam ipsum conjugis corpus adtrectet. Talis pudicitia nec MENSTRVATIS, nec GRAVIDIS utitur feminis, nec EIVS ÆTATIS, quas certum est, eas jam concipere non valere. Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus.* Id est, rem affirmat, quam etiam Philosophi Gentiles, qui aliquid amplius ingenij & honestatis habuêre, agnoverunt. *Cùm honestas in voluptate contemnenda consistat*, inquit Cicero, *honestatem cum voluptate, tanquam hominem cum belua copulabis?* Ac postea: *Quæ voluptate, quasi mercede aliquâ, ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio, simulatioque virtutis.*

S. Aug. lib. 3. c. 12. con. Iul.

Cicer. lib. 4. Acad.

Quæ etiam, in materia ista uxoriæ Veneris, communis est Theologorum sententia, quam, recensitis ante se, præter S. Augustinum & alios Patres, quinquaginta circiter Auctoribus, defendit Thomas Sanchez, Homo aliàs minimè scrupulosus. Nam concumbere cum uxore propter solam delectationem, *est debiti ordinis perversio*, inquit; *cùm actus suapte natura tendens ad bonum prolis, referatur ad bonum voluptatis.* Invertitur enim ordo naturæ, quando actio exercetur propter voluptatem, tanquam finem; cùm è contra, natura voluptatem instituerit, tanquam medium ad facilius actionis exercitium. Aliæ præterea rationes sunt, ob quas S. Augustinus hanc rem, tanquam certissimam, & sacris litteris definitam, sæpenumerò asserit. Solet enim hic Sanctus peccata *in statera æqua divinarum Scripturarum, non in statera dolosa humanarum consuetudinum pensare.*

Thom. Sanch. lib 9. d. 11. de matrim

S. Aug. lib. 3. c. 2. cont. Parmé.

Secundò R. P. Concionator valde exaggerat, quòd gratiam sufficientem quæ semper effectu caret, & sine

ſine qua tamen homo peccare non poſſet, Ianſenius *monſtroſam* appellavit. Quod fortaſſe non adeo ſtupendum videbitur, ſi quis cogitet, quali inſigniendum epitheto ſit illud medicamentum, quod etiamſi infinitis ægrorum myriadibus, ſciente id etiam Medico, applicaretur, neminem tamen unquam ſanaret; ſed hauſto eo, ægri mori tantùm poſſent, non hauſto verò, eſſent immortales. Scholaſtici enim illi, adverſus quos diſputat Ianſenius, docent, neminem poſſe ſpiritualiter mori, id eſt peccare, niſi Deus gratiâ ſufficienti ad evitandum peccatum, ei aſſiſtat; & tamen nullum hactenus in natura lapſa liberum arbitrium tali gratiâ evaſiſſe mortem, aut unquam evaſurum totâ æternitate, ſi hæc rerum mortalitas tamdiu duraret. Quod genus autem & monſtrum medicamenti, minimè medicamenti, eſſet, quo ægri ſemper morerentur, ſine quo forent immortales?

Nec veram gratiam Chriſti, *monſtrum* vocavit Ianſenius, ut R. P. Concionator invidiosè inculcat, ſed ex monſtroſitate illa, nullam ejuſmodi gratiam dari hominibus lapſis colligit.

Quid denique in Libello ad Emin. Cardinalem de la Cueva, ſibi velit R. P. Concionator, dum toties Ianſenio ingratitudinem in Præceptorem Leſſium, impingit, non intelligo. An Ianſenius unquam Leſſij Lectiones & Scholas frequentavit? Quomodo potuit? Nam Leſſius Theologiam Lovanij, An. MDLXXXV. profiteri inſtituit, & intra annum poſtea decimum quintum, id eſt anno ſeculari MDC. deſijt, ſi recte calculum ponunt Vitæ ejus Scriptores. Ianſenius verò, anno demum MDCII. Lovanium, ex Vltraiectenſi Ludo venit.

Anno verò MDCIV. in Artibus Promotus eſt, quatuor Philoſophiæ Pædegogiorum Dux & Cory-

phęus; & inde ſtudij Theologici initium fuit.

Hoc tamen verum: familiaritatem tunc coluiſſe cum R. P. Bernardo Bauhuſio, quocum ſæpe ei diſputatio erat de materia gratiæ & prædeſtinationis.

Sed cùm Ianſenium ad ſe pertrahere non poſſet Bauhuſius, invitavit quondam, ut P. Leſſium conſuleret. Sed nec ſiç ab Ex. D. Iacobi Ianſonij, Præceptoris & domeſtici Præſidis ſui, id eſt, S. Auguſtini ſententiâ, argumentis Leſſij dimoveri potuit. Tam immobilis & defixus ab initio in D. Auguſtini ſenſu & Theologia illa profunda fuit Ianſenius.

SPONGIOLA MENDORVM R. P. PETRI VIVERI.

DVm hæc recudo, prodijt iterum ſine Cenſore & Typographo, R. P. Concionatoris MEMORIALE AD EMIN. CARDINALEM DE LA CVEVA, in quo conqueritur, *Nomen & Cognomen* ſuum, in QVERIMONIA non eſſe expreſſum. Putavi tamen ſilentio iſto eum venerari; ſed quia aliorſum id accipit: P. Petrus Viverus eſt, quem Capellæ Regiæ Bruxellæ Concionatorem appellavi.

QVERIMONIAM noſtram compendioſiſſimè refellit. Verbis enim meis utitur, pronomnibus perſonarum, & pauculis tantùm alijs immutatis: ideoque magnifico Titulo, TELA INGESTA, REGESTA, Libellum appellat; cum pilam luſoriam, quæ it reditque datatim, potius debuiſſet; niſi quis duarum meretricularum rixam dicere mallet.

QVERIMONIA dicit, *Omnes pij & modeſti obſtupuerunt Patrum Societ. impetum animorum & ſplendidiſſimam bilem*: MEMORIALE contrà reclamat, *Omnes pij & modeſti obſtupuerunt Patrum Societatis conſtantiam animorum & ſplendiſſimum zelum.*

QVERIMONIA vocat Ianſenium *virum undique præclariſſimum, Epiſcopali dignitate fulgentem:* MEMORIALE reſponſat, Patres Societ. eſſe, *Quos Pontifices ipſi judicarunt viros undique præclariſſimos, Epiſcopalium dignitatum renuntiatione fulgentes.*

QVERIMONIA ait Ianſenium eſſe, *animam in humili S. Auguſt. officina ad unguem expolitam:* MEMORIALE reponit, Patres Societ. eſſe, *animas in humili S. Ignatij officina ad unguem expolitas.* Et ita deinde.

Omnia verò quæ Echo iſta balbutiens adverſus QVERIMONIAM reſponſat, non in defenſionem libellorum P. Viveri, in quos tamen latiſſimè ſe QVERIMONIA diffuderat, ſed THESIVM Patrum Derkennis & de Ionghe, vadunt. Ne tamen cauſam ſuam prorſus deſeruiſſe videretur P. Viverus, ad calcem MENDA libelli mei EMENDATA adijcit, & Typographiæ meæ Correctorem agit.

Sed peſſimum. Nam nulla perperàm poſita oſtendit, & quę bene ſcripta, male reſcribit. SPONGIOLA itaque iſtâ raptim & ſaltim delebimus. Minores, & emendatu faciles mendos Lectori relinquimus, quamquam omnes poteramus.

MEMOR. *Dele*, ad Sereniſſimum Principem Cardinalem. *Eſt enim capitale erratum, ut gregarius Typographus coram tanto Principe ſic agat.*

SPON. Non ſcripturam meam, ſed emendationem veſtram deleo. Principes ſunt Aſyla omnium miſerorum, & Querimonias ad ipſos deferre, etiam gregarijs licet. Reverentia Veſtra capitaliùs erravit, nugas noſtras Typographicas ad Emin. Cardinalem de la Cueva Romam mittendo. *Scilicet is Superis labor eſt.* Quod impenſiùs mirantur, & rident omnes in homine Auliciſſimi, quem hîc aliquoties jactat, tam profeſſo

ME-

MEMOR. *Sed Theologicè agis.*

SPONG. Sed nunquid Amos, armentarius vellicans Sycomoros, & Saul inter Prophetas? Quæ amici intra & extra Lovanium nobis inspiraverunt, non licet narrare? Quæ possumus per amicos, nonne Philosophus dicit, hęc nos posse?

MEMOR. *Scilicet ab uxorculæ Lovaniensis dote, Ecclesiæ Catholicæ definitiones pendebunt.*

SPONG. Iansenij editio ab ea pependit, & publicatio veterum quarundam definitionum Ecclesiæ, si fateri verum vultis. Sed ô patientes Emin. Cardinalis de la Cueva aures, si inter tot magnas Ecclesiæ Vniversalis & Orbis curas, de uxorculæ meæ dote nænias, ad eum nil spectantes, vacat audire.

MEMOR. *Opus Iansenij potius* devium, *quàm* divinum, *dixeris.*

SPONG. Acutè. *Divinum* vocant, qui attentè, humili animo, non scientiâ inflante & opinione sui tumido, legerunt. Si *devium* existimatis, reducite nobis in viam; & gratiam, non maledicta à nobis habebitis. Deus enim corda nostra intuetur, quomodo ipsum, & Catholicam veritatem hîc inquiramus.

MEMOR. *Dicebant nuper viri eruditi, & apprimè in Theologia docti, nec nostri Ordinis; videri Iansenium nullum Doctorem Scholasticum inspexisse: ergo nec Vasquium.*

SPONG. Quam docti illi fuerint, nescio. Certè quàm doctus in Scholastica fuerit Iansenius, illi nesciverunt. Schola Lovaniensis, quantus in omni Theologia esset (palleat & sileat invidia) nuper loquebatur. Clamant tot consultationes, & Libri ab eo scripti: & præsertim invidiosus ille AVGSTINVS, quem alienis tantùm oculis legisse videntur, qui cum

Scholasticos legisse negant, quorum catenam adversus ipsos longiorem texit, quàm ipsi vellent.

Non habuit quidem, quia contempsit, Scholasticam illam macram, ex humanis tantùm ratiocinijs, tanquam aranearum filis, contextam; sed sacrâ Scripturâ & PP. Patrum sententijs pinguem alterā, nec *de efficace Dei gratia* (totius Theologiæ Scholasticæ parte subtilissimâ) *tam strigosè, quàm alij quidam, philosophabatur*, ut Ex. M. N. Barthol. Petri Lintrensis phrasi loquar.

Barth. Pet. Annot. ad c. 11. Epist. S. Celest. Papæ.

MEMOR. *Adde: S. Augustinus premebatur circa essentiam peccati originalis, ut ipse fatetur in Epist. ad Hieronymum.*

SPONG. Non addam, sed deleo hoc atramentum. Affingit quidem istud S. Augustino Vasquius Magister vester; sed videte deleta & confutata omnia apud Iansenium Tom. 2. lib. 1. cap. 15. de statu naturæ lapsæ.

Si refutasse, est argumenta jam fracta & dissipata tantùm rescribere, nemo puer est, mi Pater, qui non confutabit, non solùm Iansenium, sed S. Thomam, & S. Augustinum.

MEMOR. *insolens est, & plena masculâ bile Censura Iansenij & Iansenianorum:* Insultant lepores leoni mortuo.

SPONG. hoc adagium in S. Augustini adversarios olim jactum, & audimus nuper viros magnos, qui Iansenij eruditionem & virtutes optimè noverant, resumpsisse in eos, qui nunc ei mortuo insultant. Et omnes ferè, præter Societati obnoxios, habent hunc sensum. R. P. Vivero, credo, auræ Bruxellensis afflatu, aut civium affrictu, tantillum Gallicè & Flandricè adhæsit, ut intelligere possit Epistolæ hujus fragmentum.

Mais

 16

Mais que vous semble il à cette heure de noz Peres Iesuites, qui par Theses & affiches publiques arrachent si bravement la barbe à se lion mort de Iansenius, en faisant un Lutherien & Calviniste, Imposteur, & milles telles choses? Ie m'imagine, que si il vivoit, ils seroient un peu plus modestes en son regard. Car à mon advis, Het en was gheen katte / om sonder handtschoen te vangghen.

Non ergo Iansenius, ut R. Paternitas vestra lepidè Romam scribit,

MEMOR. *Leporinus totus est, qui dum viveret non est ausus mutire & effutire, quæ scripta reliquit.*

SPONG. Ausus sane, sed non potuit: & Leo Domi ungues dentesque acuere jam cœperat, nisi fatalis dies intercessisset. Nonne enim R. V. ad Serenissimum Principem Card. de eo clamat: *Que penso imprimir' este su libro entre quatro paredes de su casa clandestinamente, contra el estilo ordinario?*

MEMOR. *Pro Vasquio sunt elogia S. Augustini Hipponensis (* quibus Suarez auctoritatem ejus exaltat *) non Augustini Iprensis.*

SPONG. Vna utriusque Augustini mens est; hic Commentator est, ille Textus. Si Iprensis contra Vasquium, Hipponensis pro eo esse non potest. Aut ostendant, & credimus. Quomodo enim Augustinus Hipponensis pro Vasquio, cui *non probatur doctrina Beati Augustini* Hipponensis, *sed aliter philosophandum existimat?* Qui *ex opinione S. Augustini de peccato originali, nos cogi incidere in sententiam Pelagij* dicit? Edissere, quæso, nobis parabolam istam, nescimus quid loqueris.

MEMOR. *Adde, Quod omisisti, & non omisit Mariana:* Neque video &c.

SPONG. Quid vultis addam? Quod lippis etiam & tonsoribus notum? Quis enim nescit Marianæ, Vasquij, Lessij, Molinæ prædestinationem in quibusdam

dam Scholis adhuc defendi? Sed S. Augustini prædestinationem, quam Mariana *horridam* dicit, Bellarminus *à S. Augustino ex divinis litteris solidissimè comprobatam* ait.

MEMOR. *Quod attinet ad Suarium, supposita conditione loquitur:* Si talis sit cogitatio congrua P. Vasquij.

SPONG. Quid hoc in excusationem Vasquij, si conditio illa impleta sit, & clarissimè in verbis & doctrina ejus pateat?

Agnoscunt eam omnes qui Libros ejus legunt, agnoscit Suarius, ideoque confidenter ait, *Destruere veritatem integræ gratiæ & nihil in re differre ab errore Pelagij.* Et alibi,

Suar. lib 2. c. 16. de præd. *Consequens quod concedit Vasquez, esse alienum à sententia S. Augustini, & vix posse à Semi-Pelagianorum reipsa distingui, licet verbis differre videatur.*

Idem lib 1. c. 17. de grat. MEMOR. *Adde, Reverebatur tantus Doctor* (Suarius (*R.dum P Vasquez, nec detrectavit ab illo edoceri, in eo quod non ita perfectè assequebatur*

SPONG. Non credo. Æmulatio mutua, quæ in scriptis eorum se prodit, hoc refellit. Suariũ Vasquio longè doctiorem omnes docti agnoscunt: nec fuit tam tardus, ut Vasquij mentem assequi non posset, quam etiam Baccalaurei nostri facillimè capiunt.

MEMOR. *Non sunt Cadmæi fratres, qui domi integro sæculo tam concordes.*

SPONG. Tace, mi Pater. Ab ijs, qui ex vobis exeunt, disputationes domesticas scimus, nec meliores vos Apostolis, inter quos *contentio* aliquando fuit, *Quis eorum videretur esse maior.* Et non timetis, ne quæ *de morbis, & causis morborum Societatis* Mariana vester scripsit, vobis objectemus?

MEMOR. *P. Timpelius non fuit Romæ, regente P. Aquaviva, sed sub P. Generali Mutio.*

SPONG. fuisse oportet & antè sub Aquaviva, vivente

vente adhuc P.Lessio; cui etiam Lovanium redux, historiolam illam lepidam narravit. Certè nemo mortalium à me impetrabit, quin ista audierim ab ipso, & alij mecum: nec dubito, quin Patres Societ. Lovanienses id faterentur, si verum vellent.

MEMOR. *Adde, quòd addidit Bellarminus*: Quantum ego existimo.

SPONG. Falsum est: & deleo. Adi Lector Bellarminum lib. 1. c. 12. de grat. & lib. arbit. §. *Denique hæc opinio.* Videbis uter dicat verum.

MEMOR. *Adde, quod hoc decretum* (P. Aquavivæ de gratia efficaci An. MDCXIII.) *ut nuper lectum est Lovanij publicatum non est.*

SPONG. Quis credat, decretum P. Generalis, de re tanti momenti ad totam Societatem, Collegio Societ. Lovaniensi non fuisse intimatum? An fortè in talibus Regiæ Aulæ PLACET etiam expectatis? Si ullibi enim, Lovanij publicari debuit, in Schola Lessij, cujus opinio, interprete etiam vestro Tannero, illo decreto proscribebatur.

MEMOR. *Dele*, duas hæreses. *In textu est*, Catholicas verdaderas.

SPONG. Lepidè. Ergo qui ad Serenis. Principem clamat, *Segnor, Catholica verdad es* &c. veritatem Catholicam, & non hæresim ei contrariam Iansenio objicit? Putavi crimina, non virtutes objici hominibus. Puerilia sunt ista, mi Pater, & indigna virorum calamis.

MEMOR. *Potest dici, quod Christus propriè mortuus sit pro electis, minus autem propriè pro reprobis.*

SPONG. Habemus gratiam S. Prospero, cujus verba reveriti, veritati & Iansenio (nisi fallitis) jam dedistis manus. Date quoque hîc, & dicite, Christum non propriè orasse, ut reprobi salutem æternam consequerentur. Nescitis enim quo modo illud tam apertum

 Io. 17.

Ioan. 17. *Non pro Mundo rogo*, intelligat Augustinus? Pro alijs quidem beneficijs, etiam temporali Iustificatione, ut reprobi consequerentur, propriè Christus orare potuit; ut quid autem pro salute eorum æterna propriè oraret, quam se numquam impetraturum, certissimò sciret? Nonne S. Thomas, *Christi orationem semper exauditam fuisse*, docet? Nonne apertè ait, *Dominum non orasse pro omnibus crucifixoribus; neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solùm qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam?*

S. Tho. 3. p. q. 21. a. 4.

Quid igitur tumultuamini adversus Iansenium? Ecce ex adverso stat invicta Thomistarum acies, *Illos aspice contra*, si audes. Iansenium leporem appellatis: ostendite vos molossos, qui viventibus etiam leonibus Thomistis barbam vellere non formidetis.

MEMOR. *Dele*, apertè hæreticus.

SPONG. Quid deleam? Nonne hoc titulo Lovanij & extra passim Rever. Vestra, & vestri Iansenium honoratis? Testes fide dignissimos habemus, qui à Rever. Vestrâ se audisse dixerunt nobis. Et nonne THESES satis apertè hæreticum appellant, quando hæreticos Lutheri & Calvini errores ei adscribunt nuper palam damnatos, quod Iansenius ignorare non potuit? Et quid aliud etiam nigro & obliquo isto dente Rever. Vestra indicat, cùm ait, *Quod ad lauream & mitram assumptus, non eo ipso fuerit in gratia & fide confirmatus?* Fallimini, si nobiscum agere putatis, tanquam pueris, Nuces vestras alijs spargite.

QVAN-

QVANTVM AD

THESES THEOLOGICAS
DE GRATIA
ET LIBERO ARBITRIO,

CONTRA

COR. IANSENII AVGVSTINVM,

DEFENSAS

Apud PP. SOCIET. LOVANII

Die XXII. *Martij*. M.DC.XLI.

OMnes pij & modesti obstupuerunt Patrum Societ. impetum animorum, & splendidissimam bilem. Nam Theses ejusdem cum AVGVSTINO Ianseniano genij & doctrinæ (quas in prima & secunda editione ad calcem libelli inspiciendas recudimus) à XIV. annis apud PP. Minoritas Hibernos publicè, oppugnantibus frustrà Patribus Societ. propugnatæ Lovanij fuerant; silentio, aut nullo qui in publicum exiret tumultu.

Sed *Theses istæ*, aiunt (ut jam audio) apud suos, *ex eâdem ipsâ Ianseny officinâ prodierunt, ipse eas digessit, formavit, limavit, atque Hibernis Minoritis tantum non invitis propugnandas obtrusit; ut hâc ratione Pseudo-Augustino suo aliquando nascituro, viam prapararet. Nihil itaque auctoritatis aut momenti per Theses istas Ianseniano Augustino accrescit, uti nec per hunc illis.* Vnde R. P. Viverius ait, *quosdam esse* (nempe divinatores suæ Societatis) *qui dicant esse calami Ianseniani.* Viver. in Memorial.

Sed hoc esse merum commentum, gratis excogitatum ab ijs, qui deprehensi, quidlibet balbutire malunt,

quàm silentio pudorem fateri, quis non videt? Vivunt etiamnum istarum Thesium propugnatores, & quamquam is qui Disputationum Præsidem egerat, Lovanio absit, & ultra Britannicum Oceanum in Hiberniâ ministrum sui Ordinis agat Provincialem; Responsalis tamen P. Patritius Brinan Lovanij est ad manum, qui Theologiam in eadem Schola Confratribus prælegit. Ætatem habet, ipse de se loquatur. Ac nuper à Patre Societatis, altero famosarum THESIVM Præside, rogatus respondit, falli eum, ac Socios ejus: Theses à se tunc propugnatas, non ex Iansenij, sed domesticâ Fratrum suorum officinâ venisse, & promptum sibi etiamnum esse, Dictata doctrinæ illi consentientia à XX. jam annis calamo domi excepta ostendere.

Habuerunt enim Minoritæ tunc temporis intra domesticos parietes, egregium eruditorem, assiduum Augustini Lectorem & propugnatorem, Illustrissimum Conrium, Tuamensem Archipræsulem, qui Tractatulo suo *de pœnis parvulorum sine baptismo decedentium*, ita se Augustinianum demonstravit, ut facilè quisque videat, non fuisse necessarium ejus Domesticis Iansenij subsidium implorare; multò minus obtrusas ab eo Theses, præter aut contra propriam opinionem, defendendas suscipere

Sed fuerit Conrius, (aiunt iterùm ipsi) *diligens Augustini Lector & perscrutator, de materia tamen istarum Thesium nihil fuit sollicitus, utpote in investigandâ Augustini mente de statu parvulorum totus occupatus.*

Pueri sunt, qui ista loquuntur. Quasi *pœnæ parvulorum*, & *Gratia*, quam tractat Iansenius, materia, nullo nexu inter se sint devinctæ. Nam ecce Doctores Parisienses nuper tam sorores eas existimaverunt, ut in Gallica editione Iansenij, Conrium de *pœnis parvulorum*,

lorum, recuſum ad calcem AVGVSTINI ejus adjecerint.

Deinde multi viri hic fide digniſſimi dicent ſe à XX. & amplius annis vidiſſe ac legiſſe accuratiſſimum Opuſculum ejuſdem Conrij manuſcriptum, de ipſiſſima præſentium Theſium materia. Imò, ab octodecim jam annis rogatus fuit Conrius, ut illud prælo committeret. Neque id ignorare poſſunt Adverſarij; cùm inter approbationes Doctorum Duacenſium, Tractatui *de ſtatu Parvulorum* præfixas, extet Epiſtola Iacobi Pollet Doctoris Theologi, in qua poſt laudes & commendationem Tractatûs, ita Auctorem interpellat. *Sed & alterum ab illuſtriſſima Reverentia & Paternitate tua petendum duxi (ignoſcat quæſo quòd tam fidenter loquar) ut feriò dignetur cogitare de evulgandis alijs Tractatibus, quos intelligimus eſſe prælo paratos; maximè de gratia Dei efficaci, ex quibus confutetur gratia illa, quam quidam ſufficientem vocant, prout ab efficaci diſtinguitur; quæ certè nec Auguſtini eſt ſententia, nec S. Thomæ; ſicut nec tertia illa ſcientia, quam vocant Mediam ſive conditionalem. Sunt enim iſti Tractatus ſic inter ſe connexi, ut difficilè ſit alterum ſine altero intelligere aut defendere, cùm ijſdem principijs innitantur, & unum habeant D. Auguſtinum vel Patronum, vel hoſtem acerrimum: cui tamen D. Auguſtino in materia de gratia (ut ſæpe dixi) magis credendum, quàm reliquis Doctoribus, de illa materia obiter & curſim tractantibus; unde Eccleſia in eum ferè unicum oculos ſuos defixit, in determinationibus ſuis de gratia Dei contra Pelagianos, ut ex varijs Concilijs & Pontificibus bene probat hic Tractatus &c. Duaci VI. Septembris M.DC.XXIII.*

Præmiſerat idem in eadem Epiſtola judicium ſuum de mente Auguſtini, in cauſa parvulorum, his verbis: *Eſſe autem ſententiam D. Auguſtini, dictos parvulos, præter excluſionem regni cælorum, pati etiam ſupplicium ignis*

 æterni,

æterni, non puto magis posse dubitari, quàm B. Augustinum vixisse in terris, nunc autem regnare in cœlis. Si non obstet pudor retractandi, quæ in contrarium à quibusdam dicta & scripta sunt in hac materia, spero eos facilè mutaturos sententiam, si hunc Tractatum legere, & lectum relegere non dedignentur.

Sed sive dedignatio legendi & relegendi, sive (quod proclivius est credere) pudor retractandi, hactenus obstiterit, certè adeo non est mutata sententia, ut in famosis hisce THESIBUS pristina sententia non solùm animosè propugnetur, verùm etiam ea Augustino ipsi, quantumvis invitissimo, obtrudatur: quia nimirum ille adversus Iulianum, non est ausus definire, utrum parvulis sine Christi baptismo morientibus potius expediret, non nasci, quàm sic mori.

Thes. c. 2. a. 4. Ejusdem Conrij eruditionem ac peritiam in doctrinâ B. Augustini, non minus prædicant & extollunt Doctores Lovanienses, inter quos Ioannes Paludanus non dubitat asserere, eum *mentem D. August. ita feliciter assecutum fuisse, ut non tam suo quam Sanctissimi illius Ecclesiæ Doctoris ore locutus videatur.*

Henricus Rampen, eum *velut quendam Prosperum Augustino surrexisse*, affirmat. Ioannes Schinckelius, *Vt olim Deus*, inquit, *contra Pelagianos Augustinum suscitavit Catholicæ fidei defensorem; ita te illius Sanctissimi Episcopi ac celeberrimi Doctoris, quà dignitate, quà spiritu, quà doctrinâ heredem nobis isto sæculo dedisse videatur.* Michael Paludanus, *spirat hic labor vester*, inquit, *uti profundam in Scholasticis difficultatibus eruditionem, ita assiduam in D. Augustino pervolvendo diligentiam. Constat enim hic Tractatus tam continuis è D. August. citationibus, tanto ordine è diversis ipsius Operibus inter se connexis, ut D. Augustinum ubique loquentem, suæque sententiæ partes agentem audire videar.*

De

De altero opusculo, cujus evulgationem efflagitavit Ex. Iac. Pollet, nulla quidem in hisce Lovaniensium approbationibus mentio; verùm R. & Ex. Iacobus Iansonius, cùm illud ab Auctore familiariter sibi communicatum pervolvisset, sinceramque Augustini doctrinam de Gratia, Libero arbitrio, Prædestinatione & Reprobatione, denario capitum numero perstrictam vidisset, *decem Prædicamenta Augustini* appellare non dubitavit. Quidam vir gravis & in Ecclesiastica Dignitate positus, mihi in fide sacerdotali non adeò pridem affirmavit, se per aliquot dies adfuisse Ex. Iac. Iansonio Opusculum istud pervolventi, & ad calcem uniuscujusque pænè capitis, Iansonium ingeminantem audivisse: *Fili ego pro veritate hujus Augustinianæ doctrinæ extremam guttam sanguinis mei vellem effundere.*

Hæc ita laxè diduximus, non solùm, ut Lector videat, quàm inaniter Iansenij obtrectatores Hibernicarum Thesium auctoritatem enervare contendant, verùm etiam, ut sinceri veritatis indagatores perspiciant, & admirentur Iansenij & Conrij, id est duorum eruditissimorum virorum, qui studia & vitam intelligendo Augustino devoverant, mirum in peritissima ejus mente invenienda & interpretanda consensum. Viderint nunc etiam Patres Societatis, quâ fide non solùm Lovanij, sed & in pagis vicinis (si Deo placet) persuadere hominibus conentur, Hibernos Minoritas Theses à Iansenio sibi obtrusas, contra propriam sententiam propugnasse. Et (quod magis ridiculum) mox peractis disputationibus, apud PP. Societ. palinodiam cecinisse.

O vanitas, quàm ingeniosa, imò simplex & puerilis es, quæ pro laurea, tali betâ te coronasti! Doctor in hac Academia Clarissimus P. Patritium Brinan,

Thesium Hibernicarum olim Responsalem rogavit, an memoria ei istius palinodiæ adhuc duraret? Negavit ille, subridens: nec argumenta; inquiebat, Patrum Societatis tam suffocantia erant, ut non possemus nisi per palinodiam vocem emittere.

Ætate & sapientiâ inter ipsos primi, iuniorum nugas istas pueriles, sine dubio, vident; sed dissimulant, quia nihil ipsis valde displicere potest, quod tegendis quoquo modo Auctorum suorum maculis, quas nudavit Iansenius, facere intelligunt. Nullo enim alio calore in flammas illas adversus Iansenium, quàm animoso zelo defensandi suos, exarsisse, satis ipsi ultrò fassi sunt. *Si enim à nominibus nostrorum abstinuisset*, inquiebant mihi, *Iansenij liber, ut cæteri solent, sine cujusquam remorâ, per omnium manus ambulasset.* Vnde rationes aliæ, quas jam commenti, solùm sunt prætextus; & peccato, quod Iansenio & testamenti ejus executoribus affricant (edendi librum de Gratia contra prohibitionem S. D. N. Pontificis) ipsi multò se fœdiùs contumeliosissimis istis THESIBVS contaminaverunt;

Sed Thesibus agere licitum, inquiunt, *studio indagandæ veritatis.* Etiamne, quando Theses liber totus est? Apud pueros ista fortasse valere possint. Aliàs enim nimis simplex fuisset Iansenius, qui AVGVSTINVM suum, THESES non appellaverit. Res etiam hîc profectò ridicula, pòstquā omnia cōvitia, scommatū plaustra, & universam suam bilem intra & extra disputationis materiam, in Iansenium per THESES exoneraverunt, resumpto tamen iterùm anhelitu exclamant: *Sineret utinam Apostolica Sedes calamos stringere! Deus bone! quantas, quoties, occasiones, quàm præclaras suppeditat Societati Iansenius, de doctrina, quam tanto ambitu in aciem producit, triumphandi?* Sed alij tantundem, &

 plura

plura dicunt. Vtinam eadem Sancta Sedes & Charitas Christiana finerent! Nunquam beatior aut bellior contigit materia exercendi stylum, & ipsorum petulantiam. Sed fratres nostri & Catholici sunt, nec sumenda in ipsos libertas, qualis posset in ineptias hæreticorum.

Deinde ut ad institutum redeam: Tannerus, Martius, alijque Societatis Theologi non valdè religiosi Pontificiæ prohibitionis nuper fuisse videntur, dum in omnem usquequaque divinæ gratiæ & liberi arbitrij materiam tam liberaliter se diffuderunt.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Franc. Suarij quidem hîc extollunt obedientiam. Sed quid de tota re Auxiliorum censeat, satis ex Opusculis ejus, & libris ipsis de Gratia, & longis disputationibus adversus *cogitationem congruam* Confratris sui Vasquez, satis patet; ut prudens & eruditus Lector non valde impatienter librorum istorum suppressionem, & jacturam ferat. Vt autem insignem, sicut illa meretur, in Sedem Apostolicam ostenderet observantiam, debuit sanè ter admonitus, corrigere quæ de Confessione Sacramentali perperàm ab ipso posita erant, nec postea Tertia ejus Pars ijsdem maculis deformis in lucem exire.

Nam post decretũ Clem. VIII. An. M D C II. contra ipsũ, Paulus V. tertiò iteratis Mandatis, An. M D C V. Iul. XIV. Iul. XX. Aug. XVIII. eum admonuit, ut sententiam suam eraderet; quæ tamen annis XI. postea, vivente adhuc Suario, typis Moguntinis, de licentia Superiorum, in lucem redivit.

Vrgent quoque Octavij Episcopi Calatini tunc hîc Nuncij, mandatum sub pœna excommunicationis latę sententiæ, ne alterutra pars alteram hæreseos aut ejus suspicione, ausu temerario condemnare præsumeret.

In quod

In quod ipsi iterùm sanè apertè impegisse videntur, cùm R. D. Iansenium hæreticis erroribus juxta Lutherum & Calvinum ponunt, & eum toto libro acerbè, si non crudeliter, dilacerant.

Virum enim undique præclarissimum, ingenio sublimem, doctrinâ incomparabilem, pietate & amore divino flagrantissimum: moribus & totâ vitâ integerrimum, Episcopali dignitate fulgentem, tanquam scurram & nihili homuncionem, in scenam producunt, & traducunt in pompam. Virum modestissimum vocant *Thrasonem*, sincerissimum *impostorem*, candidissimum *calumniatorem*, submissæ & in humili S. Augustini officina ad unguem expolitæ animæ, ubique accusant *arrogantiam, petulantiam, supercilium*. Et adhuc mirantur, & eâ re eum infamãt, quòd veritus ne liber semicusus & informis ab adversarijs opprimeretur, si fama præcox eum vulgasset, domesticâ & secretâ Typographiâ cogitaverit excudere? Quàm prudenti & justo metu id agitaverit, intemperie & tempestate suâ adversarij iam satis probant.

Vnde Præfatio Lessij, qui Opus suum *de Gratia efficaci & libero arbitrio*, post illam Calatini, & deinde alteram Pauli V. prohibitionem, scripsit, longe magis in Iansenii, quàm in ipsorum excusationem cadit.

Lessius lib de grat. præfat ad lectorem. *In refutando*, ait Lessius, *eam servabo moderationem quam charitas & veneratio eorum, qui aliter sentiunt postulat, & Sua Sanctitas præscripsit. Abstinebo à convitijs & censuris. Testor me nihil velle damnare, aut censurâ graviore perstringere, nisi quod Sancta Sedes Apostolica damnat & perstringit.*

Vt tamen sibi etiam hîc aliquid licere ostendat, nec inter scopulos posse navigari, nisi navis eos quandoque levi affrictu distringat: *Si tamen*, inquit, *ratiocinando ostendam, quid ex hujusmodi sententijs sequi videatur, nemo*

nemo id damnationem vel censuram interpretari potest. Multa enim dogmata non aliâ ratione discuti aut examinari possunt. Vbi enim apodictica seu ostensiva ratio probandi deficit, necesse est, uti eâ quæ ducit ad absurdum seu impossibile, ut Aristoteles docet; quale censetur in Theologia, quod fidei dogmatibus repugnat.

Bene habet. Video enim jam pleraque, quæ adversarij, ut nimis asperè dicta, Iansenio impingunt, tolerabilia, & deducendo eos *ad absurda dogmatibus fidei repugnantia*, Iudicio Lessii, ipsi licuisse. Pergit Lessius se, & Iansenium excusare.

Itaque hoc ratiocinationis genus velle impedire in hac causa, est TOLLERE OMNEM DISPVTATIONEM, omne examen, omnem sententiarum discussionem; & doctrinæ incertæ, quam plurimi Doctores in varijs Orbis Academijs valde improbant, quidam etiam graviter censuerunt, tanquam certæ & securæ, velle omnes acquiescere. NON FVIT EA MENS SVÆ SANCTITATIS; non voluit impedire serium examen ad veritatem deprehendendam necessarium. Expedit enim Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, ut huiusmodi dogmata, quæ multis videntur novitia, DILIGENTISSIME EXCVTIANTVR; maximè cùm ea sint hujusmodi, ut MVLTA ALIA INGENTIS MOMENTI ex illis pendeant, qualia sunt ea de quibus hic disputatur. Addit verò deinde, quod verissimum, & Iansenium unicè movit, ut tot annorum labores consumeret in unum Augustinum.

Vnde sentio, inquit Lessius, *in universa Theologia non esse ALIQVID MAIORIS MOMENTI, aut dignius acri examine, quam sint ista de quibus hic agitur* (id est, *AVGVSTINI* Iansenianí materia) *utpotè ex quibus tota nostra Religio pendeat.*

Agendæ igitur magnæ gratiæ, non sic irascendum Iansenio, qui obscuris & tanti momenti rebus tantùm

 lucis

lucis attulit, quantum *vix ullus qui huc usque à S. Augustini temporibus extiterit*, ut testati nuper Doctores inclytæ Sorbonæ Parisiensis.

Sed Thraso, impostor, & calumniator, aiunt, etiam est Iansenius.

Vbi ? amabo. Affirmat, inquiunt, *Bellarminum, Molinam, Suarez, Vasquez, Lessium, accepisse obiectiones Pelagij, vel ipsius Augustini adhuc errantis, pro vera ejus doctrina sive assertione.* Deinde afferunt tria loca, ex quibus *confidunt fore ut sincerus Lector facilè videat, & Thrasionem esse Iansenium, & impostorem.* Sed Augustinum, Iansenium, & Auctores illos Societ. obsecro, paulisper vide & confer, obstupesces hominum istorum confidentiam Lector.

Thes. Pag. 121

Primus & capitalis Augustini locus, Lib. de corrept. & gratia cap. x. quem allegat Suarez, ut ex eo probet, Adamum in statu innocentiæ indiguisse speciali dono gratiæ ad perseverandum, nec potuisse habere actualem perseverantiam, nisi acceptam à Deo per efficacis gratiæ donum. Verba autem quæ tanquam Augustini ex eo loco ad hunc finem citat Suarez, sunt ista, quæ Augustinus sibi objicit ex doctrina Pelagianorum: *Non habuit perseverantiam* primus homo, *& si non habuit, non utique accepit.* Supponens, inquit Suarez, *non potuisse illam habere, nisi acceptam.* Quod apertissimè falsum est: nam Augustinus mox, ex diametro oppositum docet. Nempe hominem integris adhuc viribus ante lapsum, non indiguisse ut daretur ei perseverantia per gratiam efficacem, quæ dat velle & non tantùm posse; sed potuisse sibimetipsi dare per liberum arbitrium, gratia sufficiente, ut in Angelis bonis, adjutum.

Vnde quòd verba illa objectionis Pelagianæ concedenda essent, ab Augustino, insigne, & ad eludendum

dum apud pueros laqueum, quo captus est Suarez, est commentum. Non enim concedere, nisi fatuus, potest dogma, quod ipse eodem loco apertè refutat, & contrarium toto conatu stabilit. *Nec duplicem distinguit perseverantiam* Augustinus ut ipsi fingunt; *unam per quam homo posset perseverare, alteram qua det reipsa perseverare.* Nam perseverantia non potentiam aut habitum, sed actum perseverandi, apud saltem Augustinum & Latinos propriè significat. Nullam ergo perseverantiam Adamus habuit, nec à Deo accepit, inquit Augustinus, quia sibi per liberum arbitrium, gratiâ non efficaci, sed sufficiente roboratum, dare potuit. Homo verò lapsus, quia viribus debilitatus, dare sibi non potest, etiamsi adjutorium illud Adami haberet; ideoque per gratiam medicinalem Christi efficacem accipere debet.

Legantur deinde duo alia loca Augustini, in quibus similis imposturæ Iansenium accusant, mox non impostorem, sed purissimæ veritatis fidelissimum assertorem fuisse apparebit, In ipsos vero accusatores crimen illud expressissimè redire, nisi crassissimâ ignorantiâ, aut scotomate denso prohibitos se fuisse dicant, quo minus lucem viderent.

Plurima alia sunt, in quibus (nisi inscitia, aut incogitantia eos excuset) durissimè impingunt in illos eosdem scopulos, ad quos Iansenium conantur allidere.

Animosissimi enim homines cæco impetu, unguibus dentibusque hostem invadunt, nec pensi quidquam habent, modò apud pueros, aut ignaros victoriæ plausum reportent.

Et hæc quidem ab illis, qui *infamiæ genus omne suo aspersum nomini, Christianæ charitatis igne possunt, solentque concoquere.* Sed hoc, quando Articulus fidei erit, Epist. dedic. ad Ser. Princ. Cardin.

 contra

contra etiam oculorum sensum, credemus.

Sanctæ Societatis Regulæ Sanctæ id quidem præscribunt, & servant fortasse, quibus dentes adhuc lactei, aut senectute edentuli sunt, mediæ ætatis homines acri dente, & mordentés se, strenuè remordent; & profectò R^mus Iansenius egregiè expertus est.

Ita inquiunt, *ast hæreseos labe commaculari eos, qui vitam & sanguinem Orthodoxæ religioni propagandæ consecrarunt, & implacabile bellum hæreticis indixerunt, enimverò id minimè ferendum.*

Sed Iansenius hæreticos eos non appellat, sed quod Suarez de Vasquio, quod Bellarminus de eodem, Molina, Lessio, in Pelagij quosdam errores, non spontè, sed imprudenter, dicit incidisse. Aliàs labores eorum pro Ecclesia communi Matre lubens in vivis agnovit Iansenius; modò cogitarent se non solos esse, & patienter sinerent alios etiam in parte aliqua Dominicæ vineæ talentum impendere; modò nollent instar suberis omnibus supernatare; modò non nimis sæpe sua beneficia (ut Cicero fortunatam natam se Consule Romam) improperarent Reip. Christianæ; modò sub isto lato & magnifico prætextu non nimium sumerent licentiæ; modò perpenderent doctrinam Ordinis sui non esse fidem Ecclesiæ, nec à Molina, Lessio, Suario, Vasquio, Iansenio filijs suis, sed à Christo sponso dependere. Credendorum verò interpretationem penes summum ejus Vicarium & Concilia esse. Si murmur etiam populi, & Religiosorum diversi Ordinis attendere voluisset, plura fortasse potuisset addere.

Less. epist. dedicat lib. de grat.

Sanè, quod P. Lessius ad Emin. Card. Bentivolium, cum hic Belgij ageret Nuntium, in Domino gloriatur: *Honores ipsa professione exclusimus, opes deseruimus,*

mus, spes hujus sæculi abrupimus, habentes victum & vestitum his contenti sumus; mussitant non tam scrupulosè jam à quibusdam observari.

Quod etiam *hominem peste, morte inopinâ sublatum* suggerunt: tantundem Gallis improperare possunt de S. Ludovico. Alij Iansenium miraculo tunc ablatum credunt, quando divinum illud AVGVSTINI Opus ad calcem perduxerat, cui absolvendo, se à Deo factum natumque, in Domino gloriando, dicere solitus erat.

Vnde aliquot diebus ante morbum & mortem, cùm pauculæ lineolæ ducendæ superessent, domestici mirati sunt insolitam morum & vultûs hilaritatem; cùm aliàs tranquillâ & perpetuâ severitate undique soleret esse compositus.

Negant quoque Iansenium tam arduæ scriptioni, & refutationi Scholasticorum potuisse esse parem, quia nunquam docuit Philosophiam.

Sed neque P. Ægidius Coninck; & P. Lessius tantùm Minus-principalis fuit. Aliàs in concursu quatuor Pædagogiorum Lovanij olim Iansenius in Promotione Philosophica primam palmam obtinuit. Rogatus etiam ut Professionem susciperet, renuit, quia tempus inutiliter tam longâ Philosophiâ teri dicebat, ingenia bona sterilescere, & in folia aut spinas, nullo pænè fructu, consumi. Tantus nihilominus fuit Philosophus, ut quoties de rebus illis disputandi redijsset occasio, nihil in omni Philosophia tam abditum, quin incredibili acumine ingenij penetraret, nihil tam obscurum, quod non lumine etiam illustraret. Et profectò, Dei providentiâ, puto, factum est, ut Philosophicam Professionem respuerit; ne præoccupatis & altè infixis Philosophiæ opinionibus, minus vacuus ad capiendum Augustinum postea accederet.

Si enim multis, ut fatetur, annis secum luctatus est

 in extir-

in extirpandis quas sibi in Philosophia & primo studio Theologico impresserat, Scholasticorum quorundam sententijs; quid futurum existimamus, si in inculcandis apud discipulos illis spinarum argutijs, ingenium inveterasset? Qui etiam Philosophiæ nimis diu incubant, ingenii noxiam quandam libertatem sibi ferme pariunt, qua rationibus omnia conficere, auctoritatis verò alienæ repagulis se teneri minimè, aut vix patiuntur. Vt sanè nesciam cur PP. Societatis Lovanienses tantopere magnificent beneficium, quod P. Lessius Romæ à P. Suario olim accepit, *Ne ingenio suo vim afferret, auctoritati amplius tribuendo, quàm rationi.* Sed historiolam totam audiamus: *Maximum,* inquiunt, *operæ pretium, quod id temporis Romæ Lessius consecutus est, in hoc ferè stetit; quòd plurimas difficillimarum quæstionum, seu Philsophicarum, seu Theologicarum nebulas, quas Duaci aliquando collegerat, solari suo ingenio Franciscus Suarez dissiparit. Advertebat ille tenebras à scrupulosâ quadam religione proficisci, quâ Lessius sibi nefas esse persuadebat, à nonnullorum Doctorum auctoritate desciscere: adeoque videbat Lessium vim ingenio suo adferre, cùm auctoritati magis, quàm rationi tribueret. Quare nebulas illas unâ hac responsione Suarez facilè discussit: scilicet, sacrilegium non esse, in quibusdam sententijs, quæ neque fidem, neque mores concernunt, à magnorum quorundam placito discedere. Incredibile profectò est, quantum splendoris, eo temporis momento, illius intellectui obortum sit, qui hactenus captivus quodammodò in obscuro angustiarum carcere delituerat; jam verò libertate quâdam donatus, sese explicare, & expandere per lucidos spatiosósque rationis campos occœpit.* Vitæ Lessij c. 7.

Sed profectò, quando *per lucidos istos rationis campos*, in materia gratiæ & prædestinationis, cursum suum tam spatiosè explicavit Lessius, dies fortasse non erat, sed nox plena ignibus fatuis. In rebus enim istis fidei, & di-

& divinæ providentiæ arcanis, per opaca Scripturarum potius cum Augustino incedere pedetentim oportet, quàm cursum per apertos, & fallacibus luminibus collucentes rationis campos explicare. Nam ecce in istis campis aliud invenit Lessius, quàm in silva divinarum Scripturarum Augustinus. Augustinus enim *hominem quemdam*, qui inter Ierusalem & Iericho *inciderat in latrones, dispoliatum, & plagis impositis, semivivum* reperit; Lessius verò in Ethica Aristotelis, & *lucidis spatiosisque campis rationis*, alium quemdam, languidum quidem, sed adhuc *ambulantem super baculum suum*. Luc. 10

Et ab isto ægro ambulone, duas capitales suas contra etiam P. Suarium illuminatorem suum, opiniones didicit. Vnam de *gratia efficaci*, à suo P. Generali Aquaviva Romæ proscriptam; alteram de *prædestinatione*, cujus contrariam Emin. Card. Bellarminus *à Sancto Augustino ex divinis litteris solidissimè comprobatam* dicit. Bellar. lib. 1. c. 12. de grat.

Duæ quippe istæ Lessij opiniones inde natæ, quòd non satis gravitatem vulnerum peccati originalis æstimaverit.

Sed *Hollandus* fuit, inquiunt, Iansenius. Adijcere etiam poterant, si cælum aliquid ad virtutem referat, ex patria Adriani VI. Pont. Max. Ruardi Tapperi, Martini Dorpij, Cuneri Petri, Adami Sasboldi, Iac. Iansonij, Iac. à Castro, Guil. Lindani, viri inquit Card. Baronius, *Non tantùm omnis generis litterarum eruditione clarissimi, verùm etiam egregij Confessoris fidei, qui exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcusso robore, fidei causâ sustinuit*; Gasparis Barzæi (qui fuit è primis S. Ignatij discipulis, & S. Xaverij per Indias comes individuus) Petri Canisij, & tot illustrium è Societate Iesu virorum inter Hære-

Hæreticos & hæreſes Catholicè educatorum conterraneus. Vt enim lucernæ clarius micant in tenebris denſæ noctis, ut ignis antiperiſtaſi frigoris vehementius inardeſcit; ita Religionis Catholicæ fervor in Hollandis & vicinis rebellibus Provincijs, hæreticorum ambitu magis accenditur & flammeſcit. Certè qui Ianſenium noverunt, nihil illo fuiſſe dicunt fide conſtantius, charitate flagrantius, ſpe excelſius. Non dubitant, quin Dei gratiâ, in publico Theatro Orbis, ſi occaſio tuliſſet, cervices,& totum corpus pro fide Catholica laniandũ animoſiſſimè obtuliſſet, inter cruentas carnificum manus tam impavidus, aut fortaſſe magis, quàm illi qui peſſimo exemplo, tam incomparabilis & ſanctiſſimi Epiſcopi fidem ſuſpectandam Orbi, theatralibus ſuis diſputationibus propinant.

Sed præter tot alia argumenta, confutant & confundunt eos ALEXIPHARMACVM, SPONGIA, alijque in hæreticos ſuæ patriæ, libelli quidem, ſed magis formidabiles, & anxiùs adverſarios fidei ſuffocantes, quàm ingentes fortaſſe aliorum Tomi.

Vir etiam erat Ianſenius tam veritatis amans, inconcuſſi animi, & firmi pectoris, ut Regibus & Principibus intrepidus auderet verum dicere; quibus hodie alij adularentur, aut rerum futilium & caducarum metu auriculas demittant, nec totum edicere audeant quod è Rep. & ſalute Principum eſſe ſciunt.

Nil igitur cauſæ eſt, niſi quia ſic invidiæ placet, cur excellentiſſimum hunc virum infra alterum Gandavenſem ei cognominem, tam profunde quiſquam deprimat. *Prodijt poſthumus fœtus*, inquiunt, *Cornelij Ianſenij, non illius Flandri, Gandavenſium Epiſcopi, & celeberrimi Evangelicæ Concordiæ ſcriptoris; ſed Hollandi, è Doctore*

Theologo

Theologo Episcopi nuper Iprensis. Fatemur Gandavensem Iansenium, magnum omnino virum, & Academiæ hujus quondam columen; sed facessat livor, Iprensis in paucis infra ipsum, pluribus in æquo, quibusdam, & præsertim profundâ illâ & arcanâ S. Augustini doctrinâ, apertè superior. Dicent, qui ex scriptis, aut aliunde utrumque sine invidia videbunt.

Quantum ad doctrinam THESIVM & hæreses quę Iprensi Iansenio objectantur, debuissent Auctores S. Augustinum cum Iansenio in eodem Parallelo juxta Lutherum & Calvinum componere. Nihil enim Iansenius à se dicit, sed omnia ex S. Augustino; & tantâ doctrinæ catenatione ac evidentiâ Augustini sensum ostendit, ut omnes qui tranquillâ mente ad lectionem accedunt, jurare pænè ausint, intimam S. Augustini mentem attigisse. Aut si adversarij negent, & viri sunt, calamum arripiant, catenam illam frangant, & aliorsum S. Doctoris sensum deducant, si possint.

Non est satis vocasse PSEVDO-AVGVSTINVM, restituant nobis verum pro mendaci, & ostendant, se aliquot mensium spatio amplius in S. Augustino, quàm Iansenium annis XXII. profecisse. Sed non facient, & magis purgati affectibus inter eos, ut audivimus, non obscurè vident. Ideo S. Augustini mentionem & nomen horrent, malúntque ad Patrum vetustiorum tribunal, quando *Pelagianis nondum litigantibus*, ut ait Augustinus, *securiùs loquebantur*, causam totã deferre. Tentavit idem Iulianus, & tamen Apostolicæ Sedis sententiâ, uni victori Augustinó damnatus est. Lib. 1. Cont. Iul. c. 9.

Vnde patet quàm ineptè hic improperatur Iansenio similitudo cum hæreticis, qui unicum interdum Sanctum Patrem, cæteris neglectis, rapiunt in suæ hæresis defensionem. Nam Ecclesia Romana olim in

causa Pelagianorum, unum Augustinum instar omnium habuit; cui etiam in Concilio Milevitano, & Carthaginensi munus militandi hanc, adversus subtilissimam hæresim, militiam, tanquam duci, communibus suffragijs impositum fuit. Cæteri verò ante eum Patres, licet in peccati originalis assertione (unde ferè tamen reliqua omnia fluunt) & plerisq; fidei contra Pelagium articulis, cum Augustino conveniant; in quibusdam tamen (ut quòd initium fidei sit ex nobis &c.) dissentiunt. Et quid mirum, cùm etiam ipse Augustinus aliquando dissenserit secum? Nam quando Commentariolum in Epist. ad Rom. scribebat, errore illo veterum Patrum ferè communi, Semi-Pelagianus adhuc erat, ut ipse sæpe fatetur. Sed hæresis Pelagiana ait deinde, *Nos multò vigilantiores diligentioresque reddidit, ut adverteremus in Scripturis sanctis, etiam ipsam fidem donum illius esse, qui ejus mensuram unicuique partitur.*

S. Aug lib 3.c. 33. Do. Christ.

Eundem in Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo alijsque errorem, promptissimum est ostendere. Nam ecce apertè Chrysostomus dicit, *Fidem nostram esse; & ne vacuos & otiosos salvet Deus, illam à nobis exegisse.* Et alibi: *Id solùm intulimus nos, quod crediderimus Christum nos posse salvare.* Similiaque sæpe repetit, quæ errorem illum Semi-Pelagianum apertè continent, quem Augustinus, cùm ad Simplicianum scriberet, *Deo revelante*, ut fatetur, in se correxit.

Chrys. Homil. 4. ad Ephes. & Homil. 3. in 1. Tim

S. Aug. c. 4. de prædest. Sanct.

Quòd vero etiam Origenem inter SS. Patres, in causa Pelagianorum, adversus Iansenium perpetuò producant, nihil turpius fieri potest. Tam enim manifestè Origenes Pelagiano dogmati favit, ut Hieronymus doctrinam Pelagij, *Origenis ramusculum* appellet.

S. Hier. Epist. ad Ctes.

Vnde nec Patribus vetustioribus, nec Augustino juveni Episcopo, per omnia fidit Ecclesia Catholica in hac

hac Pelagiana lite; ſed Auguſtino demum ſenescenti, aut ubi omnes ſacrarum Scripturarum excuſſet ſinus & fibras pertentaſſet.

In Auguſtino autem huc uſque provecto, hæreſes, aut errores in dogmatibus capitalibus quæ explicat Ianſenius, ſuſpicari, improbabiliſſimũ ſit & impium, ut ex Suario antea audivimus. Vnde nec in Ianſenio, iam dilucidâ & admirabili omnium rerum conſequentiâ, dogmata illa catenatim contexente, ullus irrepere error poteſt; & hæreſes omnes, quas inſolentiſſimæ illæ THESES ei appingunt, aut affictæ ſunt, aut laqueis iiſdem (quod dicere nefas) tenetur Auguſtinus.

Quæ enim ex Auguſtino adverſarij pro ſe rapiunt, obſcuri ferè quidam textus ſunt, quos ſibi obijcit & optimè explicat Ianſenius, ſi attendere vellent: id eſt, tela ſunt à Ianſenio jam fracta, quorum fragmina in eum languidâ manu regerunt.

Probationes deinde ex Scriptura ſacra, Concilijs, Patribus, Scholaſticis, quales & quàm perturbatæ? Verba, ſententias, ſenſus contorquent, mutant, conturbant, ut Ianſenio valeant impingere. Vbi Auguſtinus dixit, *verum eſt omnino*, (interpoſito hîc commate) *omnes homines hoc poſſe, ſi velint*: ipſi reſcribunt, *Auguſtinum ἐμφατικῶς dixiſſe: Omnes omnino poſſe, ſi velint.* Verba Trid. Seſſ. VI. C. XI. *Deus namque &c.* ad probandam gratiam ſufficientẽ, per vim aliò, cum Leſſio referunt, quàm à Conc. allata ſunt. Bullę Pij V. & Gregorij XIII. quæ incipit, *Ad futuram rei memoriã*, os detorquent, ut dicat, *Ad perpetuam rei memoriam*, & τὸ *perpetuum*, litteris capitalibus ſcribunt; addentes, *propoſitiones illas, non dumtaxat ad tempus fuiſſe prohibitas, ſed ad PERPETVAM rei memoriam DAMNATAS, PROSCRIPTAS, ABOLITAS*: cùm tamen nec, *proſcribendi*,

verbum

verbum, sed, *circumscribendi*, Bulla habeat.

Vocem, *tamen*, eidem Bullæ perperàm assutam, aiunt apud solum Vasquium reperiri; cùm Suarez etiam eam inserat, & in explicatione mentis Pontificum, eâ se adjuvet.

Commatis etiam, nescio cujus, meminerunt, cùm in Bulla originali, quæ Lovanij in Archivo Facultatis Theologicæ asservatur, & nuper typis edita, nullum commatis, puncti, coli, aut hypocoli vestigium, in tota à capite ad calcem appareat.

Sed quia hoc Pontificium Diploma, tanquam validum scutum, Iansenio sæpè & S. Augustino opponunt adversarij, sciant, Iansenium interpretationem ejus à Vasquio, Bellarmino, & Toleto qui illud Lovanij An. MDLXXX. sub Gregorio XIII. publicavit, didicisse. Nec eam fortasse Suarez ita miraretur, si totam nati Diplomatis historiam perspectam habuisset.

Michael enim Bajus magnæ eruditionis, eximiæ pietatis ac modestiæ vir (quarum virtutum encomia à Patribus Tridentinis, quò a Rege Catholico missus fuerat, Lovanium retulit) cùm videret, ut ipse publicè fassus est, apud hæreticos nostri ævi, Theologiam Scholasticam, cujus ipse erat Professor, propter eloquentiæ sordes, & inusitatam in veteri Ecclesia phrasim, abire in risum & contemptum, statuit eam ad sacræ Scripturæ & SS. Patrum, præsertim S. Augustini stylum reducere. Hinc alij quidam, partim etiam in Bajum æmulatione (sic à majoribus accepimus) novitate offensi, propositiones varias ex scriptis ejus cœperunt colligere, & acribus ac importunis Romæ sollicitationibus damnationem earum niti extorquere. Cessit importunitati Pius V. Pontifex; sed Spiritu Sancto ita Sedem illam dirigente, ut non in

veterum

eterum Pontificum & S. Augustini doctrinam Cenura impingeret. Nam rogatus etiam Pontifex, ut uniuique Propositioni suam notam inureret, noluit; sed ufficere ad sedandas Academiæ contentiones & turpas existimavit, si omnes universim prohiberet; quia nter eas, quædam *hæreticæ*, aut *erroneæ*, aut *suspectæ*, ut *temerariæ*, aut *scandalosæ*, *& in pias aures offensionem mmittentes respectivè*, essent. Hinc quia non paucæ ex illis, totidem ferè verbis olim à S. Augustino sunt assertæ, eruditi pijque viri, & Toletus ipse, narrante Vasquio, quasdam Propositiones veras esse existimant, & ideo solùm prohibitas, quia insolenti Scholasticorum pulpitis loquendi more, scandalum & turbas cierent.

Eoque magis, quòd hujus ævi hæretici propiùs ad Augustinum & veritatem, in ista controversia, accedant, quàm Pelagiani. Vnde verba & sententias quasdam S. Augustini erroribus ipsorum in speciem alludentes, in hæresim suam & liberi arbitrij eversionem rapiunt, ut olim Manichæi. Sed non ideo, quia hæretici veritati appropinquant, oportet ab ea refugere.

In Apologia deinde, quâ rogatu Reverendissimorum Belgij Episcoporum, Martini Rythovij Iprensis, Francisci Sonnij Buscoducensis, & Cornelij Iansenij Gandensis, suam & Articulorum mentem in Scholis publicis explicavit, conquestus est Baius, *Quadraginta circiter Articulos falsò sibi impositos, de quibus nunquam cogitaverit*. Multos prẹterea à collectoribus, ẹmulis suis, in alios sensus detortos, quorum invidiam & calumnias sæpe accusat.

Malè etiam me habet, inquit, *quòd multi sibi persuadeant, omnes istos Articulos, qui in Bulla damnantur, esse falsos, & hæreticos; cùm aliqui falsi esse non possint: sed damnantur tantùm, quia offensivi sunt & scandalosi seu odiosi, & ut in Bulla*

Bulla dicitur. Sic enim habet: Damnantur tanquam respectivè erronei, hæretici, scandalosi, vel piarum aurium offensivi.: quanquam nonnulli sint, qui juxta sensum ab assertoribus intentum, vera sint. *Et dixit mihi Reverendissimus Buscoducensis Sonnius, qui eo tempore erat Romæ, quando Catalogus librorum prohibitorum colligebatur, multos libros ob hoc prohiberi & damnari, non quia hæretici, sed quia PROPTER ALIQVAM NOVITATEM, offensivi & scandalosi. Sicuti solet alicubi moris esse, ut in templo disputaretur in Concione aliqua quæstio; quod ne rei novitate turbaretur populus, Romæ prohibitum est in Ordinationibus.*

Ex quibus liquet, Bajum, & Academicos, coram quibus ista differebat Bajus, verba illa Bullæ, *Quamquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, intellexisse sicut Iansenius se à Præceptore suo M. N. Iacobo Iansonio dicit accepisse. Nempe, ut Pontifex ad solatium Baij, quem eruditissimum, pijssimum, & maximè Catholicum noverat, illam clausulam jusserit inseri. Bajus enim in Apologia illa, non ordinem verborum Bullæ, sed sensum liquidiorem voluit exprimere.

Falsum autem omnino & fabulosum est, quod narrant THESIVM architecti, *Pontificem correxisse ordinem verborum*, quem Bajus *in Apologia pro se scripta* (de qua nobis antè mentio) in suum favorem struxerat. Nam Bulla edita fuit illo eodem verborum ordine à Pio V. An. MDLXVII. Bajus verò Apologiam demum An. MDLXX. scripsit. Non potuit ergo Pontifex in sua Bulla, Apologiæ Baij verba corrigere, aut ad eam respicere, quæ triennio toto post conditam Bullam nata fuit.

Thes. pag. 96.

Nec tam mirum est, quam videri volunt, quòd Pontifex nonnullas propositiones tanquam scandalosas

as damnet & circumscribat, quæ *aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*: quia fieri potest, ut tales propositiones in rigido & proprio sensu, facta sint auribus Scholasticorum, contrarijs opinionibus imbutorum, intolerabiles & scandalosæ. Velut istæ: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Item: *Liberum arbitrium, sine gratia Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.* Quam utramque in proprio sensu ab Augustino assertam, probat evidenter Iansenius; & posterior à Conc. Arausicano satis expressa, cùm dixit: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.*

Incredibile autem est, Ecclesiam voluisse dogmata illa Augustini, in proprio sensu, & ut sonant, tanquam falsa damnare. Itaq; damnavit, ut scandalosa, propter insolentiam, quâ Scholasticorum aures offendebant; licet in proprio sensu vera essent, & *aliquo pacto*, id est, extra periculum scandali, aut simili modo, sustineri possent.

Baius verò contrà, potius metuebat, ne eiusmodi propositionum damnatio, in Belgio, & ubi Catholici inter hæreticos vivunt, & ex Scripturis & Patribus disputant, scandalum afferret; quia, ut Epistola ad Pium V. ait, *Regio hæc propter importunitatem hæreticorum, multos habet longe magis Scripturis sacris & veterum Patrum sermonibus assuetos & addictos, quam Doctorum Scholasticorum: qui forte*, inquit, *existimantes nonnulla in scriptis Patrum contenta, propter eos damnari qui non nisi sensibus & verbis Doctorū Scholasticorū assueverunt, scandalizabuntur.* Sed Pontifex perstitit in damnatione, quia publicæ pacis Ecclesiæ magis interesse putavit, nihil de inveterato iam more loquendi Scholarum mutare, quàm de paucorum fortè scandalo sollicitum esse.

Ex quibus omnibus patet, longè melius Iansenium aliosque mereri de Sede Apostolica, qui articulos istos, non invitis Pontificibus, doctrinæ S. Augustini molli-

molliter applicant, quàm eos qui S. Augustinum violentè & obtorto collo, ad quorundam Articulorum asperitatem allidunt, & veteres Pontifices cum recentibus committunt.

Cùm enim Pij V. & Gregorij XIII. auctoritate Iansenium & S. Augustinum opprimere nituntur THESIVM fabricatores, eodem etiam pondere onerant S. Innocentium, S. Zosimum, S. Bonifacium, S. Celestinum, S. Sixtum, P. Leonem, aliosque Romanos olim Pontifices, qui S. Augustini adversus Pelagianos dogmata, aut approbaverunt, aut laudibus in cælum extulerunt. Quorum SS. Pontificum auctoritatem ut effugisse viderentur, verba Iansenij callidissimâ arte detruncaverunt THESIVM fabri.

Nam cùm Iansenius contra suam & S. Augustini doctrinam, articulum quendam Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. sibi obiecisset, interrogassetque, *Quid ergo ad Propositionem, quam proscripsit Apostolica Sedes?* Respondet: *Hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam S. Augustini clarissimam constantissimamque, quam toties probavit, & sequitur, sequendamque monuit Apostolica Sedes?* Quam Iansenii responsionem ita mutilant illi fabricatores:
Thes. pag. 4. *Hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam Augustini?* Quasi Iansenius duorū Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. auctoritatem, unius Augustini auctoritate supprimere, aut æquare voluisset: cùm tamen addendo, *Quam toties probavit* &c. non solùm Augustinum, sed veterem Sedem Apostolicam, id est, tot Sanctos alios Pontifices cum Pio V. & Gregorio XIII. comparet, & utrimque auctoritates in æquo suspendat.

Potuisset quoque Iansenius telum aliud ex Romano armamentario, longè penetrabilius, quàm istud Bajanum, adversarijs obijcere.

Diploma nempe Sixti IV. adversus Petrum de Rivo

vo Philoſophum Lovanienſem, quo tanquam invi-
o, Facultas Theologica nuper uſa in certamine Leſ-
no. Damnavit enim hanc propoſitionem Sixtus: *uod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, inimpedibile eſt & neceſſarium*; quam Philoſophus e publicè coactus eſt abjurare. Quid autem aliud eſſiani dicunt (inquiebant noſtri Academici) quoam hoc eſt axioma: *Quando aliqua ſuppoſitio non eſt in noſtra poteſtate, ut ea ponatur vel non ponatur, id quod per neceſſariam conſequentiam ex ea ſequitur, abſolutè neceſſarium eſt?*

Cæteros omnes famoſarum THESIVM mendos & errores colligere, longum foret ac difficile. Innumeri enim pænè ſunt, & quo ſæpius, aut plurium oculi eas inſpiciunt, denſiores & magis enormes maculæ ſe offerunt. SS. Patrum verba perperàm poſita, decreta Conciliorum, quò non vadunt, per vim detorta, Ianſenio quæ non cogitavit affiĉta, aliaque multa tam deformia, & viris illis indigna, ut nemo Catholicus & virtutum ipſorum amans, exiſtimare poſſit iſta ſponte, ſed nimiâ feſtinatione opprimendi Ianſenium, perpetrata eſſe.

Videntur enim librum ejus carptim, ſaltuatim & celerrimè tranſcurriſſe, ut hinc inde raperent quæ in ſpeciem videbantur hæreticorum erroribus alludere. Cùm tamen Ianſenius, ſicut Magiſter ejus Auguſtinus, ut intelligatur, non ſemel & perfunctoriè, ſed ſæpè & attentè, in materia iſta omnium maximè lubricâ, velit legi. *Semel lectum* (librum de gratia & libero arbitrio, quem ad eos ſcripſerat) *nullo modo arbitremini, ſatis vobis innoteſcere potuiſſe*, ait S. Auguſtinus ad Monachos Adrumetinos: *Si ergo eum fructuoſiſſimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notiſſimum.*

S. Aug. c. 1. de corre?.

Hinc factum est, ut tot contradictiones appareant in S. Augustini scriptis, si quis festinante studio ea percurrat; & qui sententijs toto etiam cælo dissident, omnes se tamen in eo, quod quærebant, invenisse putent. Sed velocitas eos decipit. Vnde quod Auctor Præfationis ante alterum Tomum primæ secundæ P. Vasquij, in laudem ducit, alius probabilius vitio vertere potest. *Cùm Pater Vasquez*, inquit ille, *Tractatum de Matrimonio conscriberet, & fortè incidisset in quædam loca Augustini, quæ non rectè sibi, aut inter se constare videbantur, cogitabundus substitit vix quartâ horæ parte, ut rationem explicaret aliquam ea conciliandi. Atque affirmavit postea, jam inde ab annis pluribus quidpiam ejusmodi nunquam sibi accidisse, neque hæsisse tantisper, ut de re aliqua deliberaret.* Sed hæc tam volantia ingenia quidquid captent, nunquam capient Augustinum. Morâ & patientiâ deprehendi debet. Vnde nec Auctori illi præfationis hoc credere possum: *Cùm P. Vasquez in reliquis*, ait, *Augustinianus fuerit semper, hic* (in materia de Gratia) *Augustinus ipse, vel si piget Augustinum dicere, Augustini dicito mentem, aut linguam.*

Vasqu. 1.2.d. 132.c.3. d.97. c.3.

Vasqu. 1.2.d 193.c.4.

Neutrum faciam. Quomodo enim *lingua* Augustini, quæ adversus Augustinum tam sæpe loquitur? Quæ dicit *ex opinione S. Augustini*, de peccato originali, *nos cogi incidere in sententiam Pelagij?* Quæ S. Augustinũ animosè interrogat, unde ei de voluntate Dei, quibusdam obduratis auxilium sufficiens negantis constet? *Ab Augustino & alijs qui id docuerunt*, inquit, *petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti?* Quomodo Vasquez *mens* Augustini, qui audacter contra Augustini confessam mentem, *Mihi verò in hac parte* (capitalis dogmatis c. 11. de corrept. quem librum senex & prope mortem composuit) *non probatur doctrina B. Augustini, ut dixi 1. p. d. 97. c. 3. sed*

existimo

existimo aliter philosophandum esse, de donis quæ in primo parente perdidimus. Si nec linguam, nec mentem Augustini Vasquez habuit; igitur nec Augustinus, nec Augustinianus fuit.

Nec mirum est, quia opinione & Philosophiâ suâ plenus, ut Magister, non ut discipulus ad Augustini Scholam accessit. Deinde nimis velocis, impatientis & multa alia satagentis ingenij fuit, ut moram & laborem Augustino impenderet, quem ad filum istud Ariadnes per omnes labyrinthi anfractus persequendum, necessarium antè diximus.

Idem de Iansenij AVGVSTINO dici potest. Est enim perpetuę doctrinę catena, quam nisi annulatim, ut sic dicam, à principio ad finem attentè decurras, videbitur te interdum deducere in quasdam absurditates, de quibus Auctor nec cogitavit, nec consequentia doctrinę eò vadit. Sic THESIVM consarcinatores falsâ imaginatione delusi sunt, & dum festinant parere, hos cæcos & informes catulos pepererunt.

Nam ecce, in exemplum: Aiunt Ianseniium cum Luthero & Calvino negare, *gratiam cooperari voluntati,* & adversari Tridentino Sess. VI. Can. IV. quasi affirmet, *liberum arbitrium velut inanime quoddam, nihil omninò agere merèque passivè se habere.* Quæ frivola sunt & inania. Nam millies inculcat Iansenius, utrumque in opus pium influere; sed gratiæ cooperationem non esse pedissequam voluntatis, ut in primo homine & Angelis. Vnde subtilissimè & præcisè loquendo; gratia operatur, quia operatio ab ea incipit; voluntas humana cooperatur, quia gratia eam ad simul operandum trahit.

Quam doctrinam Liber ille Hypognosticon, totus ex Sancti Augustini doctrina contextus, apertè tradit,

Lib. 3. c. 10. Aypog. dit: *In omni opere sancto*, inquit, *prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij: id est, operatur Deus, cooperatur homo.*

Carpunt Iansenium, quòd gratiam primi hominis aliquo modo naturæ innocenti, qualiter in Adamo condita est, debitam esse dixerit. *Si enim debita est,* inquiunt, *quomodo est gratia?*

Iansen. lib. 1. c. 20 de stat pu. rę nat. Sed objectionem istam, ut pleraque omnia quæ regerunt in ipsum, occupavit Iansenius.

Gratia est, inquit, *praveniendo voluntatem ordinandi creaturam ad finem supernaturalem; debitum verò, illam voluntatem supponendo. Quid enim absurdius, quàm condere velle excellentissima dignitatis creaturam, & eam gratiæ subsidijs destituere, sine quibus, non solùm beari nequeat, sed necesse est miseriorem esse omnibus creaturis, vel in omnibus creaturarum cupiditatibus tabescere sine culpa & pœna?*

Ne igitur concupiscentia animalis partem rationalem in fanda & nefanda raperet, & equi aurigam suum deijcerent, debuit Deus, non tam creaturæ propriè, quàm sapientiæ suæ, ut defectum illum naturæ per gratiam originalem tolleret. Vnde non tantùm S. Augustinus, sed S. Thomas *quodammodo naturalem*, S. Thō. lib. 4. c. 52. contra Gēt. & Celestinus Papa *naturalem possibilitatem*, eam appellat. Et sanè, inquit Iansenius, rationabilius est gratiam originalem, esse ex decentia quadam debitam naturæ adhuc innocenti, quàm gratiam sufficientem debitam nunc esse naturæ lapsæ; cui aliàs peccata non possent à Deo imputari, ut docet Vasquez, & tot alij Scholastici.

Quia etiam S. Thomas 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. videbatur gratiam Christi sufficientem quę efficax non esset, admisisse, animosè & ferociter inclamant: *Aperi* Thes. pag. 51. *hic oculos Iansenj, & lege in D. Thoma quod negas.* Auxilium sufficiens, *& si potes, erubesce.* Sed erubescant potius, qui tam parùm pudentes & pallidi. Nam *auxilio* isto

lio illo *sufficienti* nihil omnino S. Thomas auxiliatur causæ vestræ. Vos enim auxilium tam plenum & sufficiens hominibus lapsis dari contenditis, ut nullum amplius ex parte Dei requiratur, voluntatem præveniens, sed liberum arbitrium cum generali Dei consensu concomitante, gratiam illam sufficientem reddere efficacem solo suo nutu possit. Vnde confidenter clamat ad Deum P. Lessius: *Posuisti omnia in arbitrio nostro, perinde ac si solis naturæ viribus regnum cælorum obtinendum esset.* S. Thomas verò & Thomistæ, præter auxilium illud sufficiens, requirunt insuper aliud efficax, quod non tantùm det posse, sed operari. Vnde ex communi Thomistarum sententia Doctissimus Alvarez: *Vt auxilium,* inquit, *prævenientis gratiæ sit sufficiens, non requiritur, ut sit ita sufficiens, ut ad operandum actualiter, non sit necessarium simpliciter auxilium ordine causalitatis præveniens ipsam operationem.* Et alibi: *Non solùm auxilium sufficiens est præveniens, sed etiam efficax, ut efficax est, prævenit ordine rationis & causalitatis, cooperationem nostræ voluntatis.*

Less. sect. 7. de præcest.

Didac. Alvares d. 79. de auxil.

Et nonne hoc etiam evidenter sequitur ex physica illa prædeterminatione Thomistarum, quàm Lessius, *nullâ ratione se posse assequi* fatetur, *& quo modo per eam non inducatur fatum plusquam adamantinum, & Deus non statuatur Auctor omnium operum pravorum, non minus quàm bonorum?*

Less c. 16. de gratia efficaci.

Multos deinde rerum divinarum ignaros avertunt à Iansenio, per Indiculos suos & THESES identidem publicè ac privatim imprimentes, Iansenium docere, *Quod Deus impossibilia hominibus lapsis præcipiat.*

Sed si, *absolutè impossibilia,* intelligant, falsum omnino est: nam quodvis præceptum divinum, etiamsi maximè arduum, potest impleri cum gratia Dei.

Si autem velint, posse secundùm omnes suas cir-

 cum-

cumstantias coram Deo impleri sine gratia Dei, Augustinus certissimè credit id ad hæresim Pelagij pertinere, & ex eo Patres Arausicani: *Quoties bona agimus* (agit autem qui præceptum implet) *Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Sed non adest semper *gratia,* inquit Iansenius, *quâ præcepta illa implere sufficiamus.*

Concil. Arausi. can 9.

Thes. pag 65.

Quid mirum, quia gratia non est debitum, sed gratia. Quibus eam dat, agant ei gratias; quibus negat, dicant, Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.

Et nonne S. Thomas & Thomistæ tantundem dicunt? *Non est inconveniens*, ait Ferrariensis post Magistrum suum D. Thomam: *Hominem obligari ad aliquid, quod est factum sibi impoßibile ex sua culpa. Sed benè esset inconveniens, ipsum obligari ad id quod est absolutè impoßibile.* Et Alvares: *Homo qui peccat, propriâ voluntate cadit, per quod gratiâ privatur, quam per se acquirere non potest: ideo meritò imputatur, si gratiam non habeat, etiam DEFICIENTE SIBI DIVINO AUXILIO, ad gratiæ reperationem necessario.* Et apertè id sequitur ex doctrina S. Thomæ, quâ asserit gratiam sufficientem cum libero arbitrio, non esse ultimatè sufficientem ad opus præceptum cum omnibus circumstantijs actu implendum, nisi gratia efficax accedat; quam non omnibus semper dari est certissimum, & omnes fatentur.

S.Thô. lib.3.c. 160. contra Gent. Alvares d.113 de auxi

Sed quid venit ijs in mentem, ut etiam conquerantur, *improbari à Iansenio hanc sententiam ex Epistola ad Demetriadem: Adscribimus iniquitati &c?* An nesciunt, quod omnibus jam notum, illam epistolam esse Hæresiarchæ Pelagij? *Verè Pelagij esse, non solùm Pelagij errores in ea positi indicant*, inquit Baronius, *sed testificatione S. Augustini, imò & ipsius Pelagij habetur expressum.* Et Bellarminus: *Epistola ad Demetriadem virginem, Pelagiana est, & à S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur in libro*

Thes. pag.65.

Baron. An.413.

Bellar. in S. Hierô.

in libro de gratia Christi. Quod igitur tantum Ianſenij piaculum, ſi ſententias hæreticæ Epiſtolæ improbet, quas improbat S. Auguſtinus?

Scripturam quoque iſtam, *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, ſæpè & valde urgent adverſus Ianſenium; cùm tamen non ignorent, longè aliter, quàm ipſi diſſimulent, accipi ab Auguſtino, & conſtanter eorum rejeciſſe interpretationem, quæ etiam fuit Maſſilienſium. Sufficiat nunc nobis unicus locus ex Epiſt. CVII *Manifeſtum eſt, eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, quâ locutione ſit dictum*, Quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, *cùm tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult; quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis.*

Sed mirum eſt, auſos eſſe etiam S. Proſperum in eandem trahere ſententiam, cùm apertiſſimè ſtet, non à Maſſilienſibus, hoſtibus ſuis capitaliſſimis, verùm à Ianſenio & Magiſtro ſuo Auguſtino. *Vbi eſt illud*, inquit Epiſt. ad Ruffinum, *quod nobis quaſi contrarium, à non intelligentibus ſemper opponitur*, Quod Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? *Nunquid non ſunt de omnibus hominibus &c.* & illud, de ſolis electis propriè intelligi ibi alibique docet. Nec repugnant alia illa verba, quæ THESIVM conditores ex ipſo allegant.

Fulgentius quoque diſcipulus alter Auguſtini: *Illud Apoſtolicum*, Qui vult omnes homines &c. *non ſicut oportet*, Maſſilienſes *intelligunt, qui hanc voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendum exiſtimant.*

Accuſant deinde Ianſenium, quaſi repugnantem Patribus Tridentinis, qui aiunt, *attritionem ex gehenna* Trid.
& pœnarum metu conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum. Seſſ. 14. cap. 4.

pulsum. Cùm id non neget Ianſenius, ſed doctrinam ſuam & S. Auguſtini, per omnia ſacro Concilio conſentientem, & quintuplicem iſtius metus utilitatem fusè oſtendat. Et ſanè alij Theologi docent, ſupernaturalem tantùm eſſe quoad modum, ſi conſideretur gehenna, *ſolùm quatenus carni, aut naturæ adfert pœnam ſenſus.* Sic enim eſt, *motus quidam naturalis*, ait vir eruditiſſimus, & Academiæ hujus nuper columen, Ioannes Wiggers. Etſi poſſit, inquit, *ratione principij, v. g. fidei, ut fundamenti, aut Spiritus Sancti ut excitantis, & ratione finis ad quem ordinatur, v. g. ad hominis converſionem ad Deum, eſſe ſupernaturalis quoad modum.* Quod etiam planè concedit Ianſenius. *Timor* enim *Domini*, inquit, non faſtigium quidem, ſed *initium eſt ſapientiæ*, hoc eſt charitatis. Nam timor iſte ſervilis, malus ex objecto ſuo non eſt, modò ſervilitas ei conjuncta detergatur. Vnde cùm multa de timore illo ex Auguſtino diſputaſſet Ianſenius, prævidens adverſariorum objectiones: *Facilè cuipiam in mentem*, ait, *venire poſſet, nullum eſſe timoris gehennæ fructum. Cujuſmodi cogitationibus reſpondeo, multum eſſe per omnem modum. Nam quamvis perfectius longè ſit, juſtitiam diligere, non tamen propterea timor pœnarum exterminandus eſt.* Et quinque ſtatim utilitates ejus affert.

Ioan. Wigg. 2. 2. q. 19 art. 5.

Si verò Ianſenius neget attritionē ex metu pœnæ, ad remiſſionem peccati ſufficere, ſine motu imperfecti amoris, quo peccator Deum, *tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipit*, juxta Trid. Seſſ. VI. c. VI. ſanè dicit quod quidam alij Theologi eruditiſſimi; & Suarez affirmat, *non eſſe de fide certum, quòd Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ poſſit cum ſola attritione conferre gratiam.* Quid ergo ineptius, quàm Ianſenium idcirco tanquam hæreticum ſuſpectare?

Sed etiam in ſuſpicionem alteram, ſi Deo placet,

trahunt,

trahunt, quasi de Immaculata Virginis conceptione, ſequius aliquid ſentiret, contra nupera decreta Pontificum. Docet quippe cum Auguſtino, *Impoſsibile eſſe, miſeriam à Deo Opt. Max. Clementiſsimo infligi creaturæ rationali, ſine culpa præcedente.* Vnde ſubſumunt Dialectici THESIVM fabricatores, *Sed B. Virgo paſſa eſt miſerias, & pœnalitates hujus vitæ, & mortua eſt; & juxta Trid. Seſſ. VI. Can. XXIII. omni peccato actuali caruit; ergo conſequentiam formet lector.* Theſ. p. 118.

Sed cur non eodem argumento clamant, Ianſenium docuiſſe, Chriſtum Dominum in peccato originali conceptum fuiſſe? Nam Chriſtus miſerias hujus vitæ, non minus, quàm Virgo Mater, paſſus & mortuus eſt, & peccato actuali caruit; ergo, eâdem dialecticâ, peccato originali infectum fuiſſe oportuit, unde pænalitates illæ naſcerentur.

Scivit, ſcivit, & aliquoties ex ſuo Auguſtino dixit Ianſenius, Chriſtum ultro pro nobis miſerias & mortalitatem aſſumpſiſſe, quas ex nullo peccato merebatur; ſcivit quoque Virginem ſpeciali privilegio à labe originali potuiſſe eximi, relictis vitæ pænalitatibus ad virtutis exercitium; nec eſſe tam generalem regulam, quæ pati non poſſit exceptionem. Aliàs Ianſenius nimis pius, & devotus Virgini fuit, ut hilum doceret, quod tantæ Matris dedeceret dignitatem.

Inter propoſitiones Ianſenij hanc etiam recenſent, *Ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato delinquentem.* Cùm addere debuerint, *Iuris naturalis ignorantiam*: quod multi Iuriſconſulti non longè reſpuant.

Imò apertè doctiſſimus Scholaſticus & eruditiſſimus ſacræ Scripturæ Interpretes Guil. Eſtius, cum S. Auguſtino, Adriano, Caietano defendit, & ab Innocentio III. *c. Per tuas*, de Simonia indicari exiſtimat. Vnde peccabant *Gentiles*, inquit cum Caietano, Eſtius 2. d. 22. §. 14.

H *neſcien-*

nescientes (per ignorantiam invincibilem juris naturalis, ut ante dixit) *simplicem fornicationem esse peccatum, quia voluntariè consentiebant in actum cognitionis mulieris non suæ, unde sumitur fornicationis species; quamvis fortè aliqui eorum, si scivissent esse peccatum, non fecissent.* Nisi enim hoc dicatur omnes, illi Philosophi fornicatores, Plato cum sua pellice Archæanassa, Aristoteles cum ancilla Hermiæ, Zeno cum sua ancilla, Demetrius Phalereus cum sua Lamia, Crates cum sua Theodota, Polemo cum sua Phileta, Cynici, Cyrenaici, Epicurei passim liberi cum liberis fornicantes, excusabuntur â peccato. Ex argumentis enim (ita cæcitati eorum videbatur) probabilibus resolvebant, sibi id licitum esse.

Et ne quispiam hoc jam in Christianismo nimis scrupulosum esse existimet: *Non tenetur quis confessionem iterare,* ait Navarrus, *si omisit aliquid confiteri, nesciens illud esse lethale. Nam quamvis ignorantia legis divinæ aliquando non excuset à peccato, excusat tamen ne peccet id non confitendo; sicut post Ioan. Gersonem, Adrianum, & Silvestrum definivimus. Vnde pueri & puellæ qui grandiores facti, noviter agnoscunt aliquid esse peccatum mortale, quod aliàs omiserunt confiteri, ignorantes illud esse tale, non tenentur iterare confessionem eorum, quæ confessi fuerunt, ut etiam tenet Sylvester.* Et alibi: *Infertur, aliquando excusari quem à confitendo peccato ob ignorantiam, quâ putat id non esse peccatum; qui tamen* ob eandem, à peccando non fuit excusatus, quod expressè ante nos Prieras annotavit, & Cancellarius cum Adriano tacitè sensit. &c.

Navar. c. 2. n. 25. Man.

Navar. c. Fratres d. 5 de pœnit.

Iuris autem positivi, aut facti ignorantiam, excusare delinquentem, apertè & sæpè Iansenius confitetur.

Dicunt deinde propositionem ex Iansenianis hanc unam

unam esse, *Nullam dari indifferentiam liberi arbitrij ad utrumlibet, imo neque libera esse, aut voluntaria peccata ulla, nisi in primi parentis peccato, quod solùm in se liberum fuit, reliqua per concupiscentiæ prementis impetum, non solùm necessaria, sed & coacta.*

Quæ falsissima sunt, & Iansenium audiamus refellentem. *Quæres fortassis*, inquit, *utrum igitur nulla indifferentia, sive contrarietatis, sive contradictionis sit in libero voluntatis arbitrio post peccatum, quamdiu in mortalitate vivimus? Si enim non adest indifferentia contrarietatis, quomodo possumus hic semper bene & male vivere? Si non adest indifferentia contradictionis, quomodo ergo dicitur, Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit?* Iansen. tom. 3. lib. 8. cap. 11.

Respondetur, inquit, *quamdiu hic vivimus, sive in infidelitate ante gratiam, sive jam sub gratia, indifferentiam ad contraria, hoc est, ad volendum faciendumque bonum & malum semper inesse libero arbitrio; sed non eodem modo, quo isti Scholastici putant.* Quod non mirum, cùm ne quidem Card. Bellarminus, cæterorum de Societate sua approbet indifferentiam.

Pergit Iansenius. *Dicimus igitur liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ dilectione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantùm non facere, sed etiam malum.*

Et egregiè ac apertissimè alibi: *Hominum viatorum, non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumlibet indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholica fide fatemur perlibenter: sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatem, ijdem Patres pernegarent.* Et iterum: *Nemo, quasi adversus Augustinum, proferat, quòd dicat sæpius* Damascenus; *per liberum* Iansen. tom. 3. lib. 5. c. 34. Iansen. tom. 3. lib. 6. c. 15.

nos arbitriū habere actus nostros in nostra potestate, in nobis, in arbitrio nostro, vel(quod in idem redit)esse nos Dominos actuum nostrorum per arbitrij libertatem. Hæc enim non solùm admittit libenter Augustinus, sed expressè docet.

Non negat igitur Iansenius omnem indifferentiam, multò minus cum hæreticis liberum arbitrium, sed cum Augustino & Bernardo affirmat, *Miseram, non amissam libertatem.* Nec est, cur Lutheri, Calvini, Contra-Remonstrantium infaustis nominibus magis terreant Iansenij, quàm S. Thomæ lectorem. Nam in Dictatis domesticis, quæ vidimus, aiunt S. Thomæ de *prædeterminatione* sententiam, esse Iansenianâ *duriorem*, & potentiùs evertere liberum arbitrium. Defendant igitur se Thomistæ, & sub impenetrabili eorum scuto latebit Iansenius. Imò adversarij, Thomistæ fortasse
S. Prosp. c. 18. cōtra Collat. fient, si definitionem istam S. Prosperi recipere velint: *Liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus*; & viderint alia ejusdem Sancti loca, quę Sess. VI. c. V. ad marginem citat Tridentinum. Videant etjam contra suam *indifferentiam* c. VIII. ad Rom. Catharinum.

Non rapit Deus impetu effreni & irresistibili, ut hęretici fingunt, humanum arbitrium, tanquam rem inanimatam, aut appetitum brutorum; sed gratiam & concursum suum, causarum secundarum conditioni accommodat omnipotens, operaturque in libero arbitrio non tantum velle, sed velle liberum. Nam *sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actiones*
S. Thō. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3 *earum sint naturales*, inquit S. Thomas; *ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in ijs facit. Operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Causas igitur perfectè voluntarias seu liberas, non impotenter rapit, sed præcedente deliberatione, & molli quodam gratiæ im-

pulsu

pulſu, ut ſe in actum ſuum demittant, agit. *In hoc enim impulſu nulla intelligitur violentiæ neceſſitas, ſed accepta bonæ voluntatis ſpontanea & amata tenacitas*, ut præclarè S. Anſelmus. S.Anſel lib. 1. c. 10. cur Deus homo.

Iam, ſi placet, Lutherum, quem in eodem Parallelo cum Ianſenio comparant, longè aliter boantem audiamus: *Deus nos actione ſuâ, pro natura omnipotentiæ ſuæ rapiens, aliter facere non poteſt, quàm quod ipſe bonus, malo inſtrumento malum faciat.* Item: *Impius non poteſt non ſemper errare & peccare: quòd raptu divinæ potentiæ motus otiari non ſinatur, ſed velit, cupiat, faciat taliter, qualis ipſe eſt.* Deinde: *omnipotentia Dei facit, ut impius non poſſit motum & actionem Dei evadere, ſed neceſſariò illi ſubjectus pareat.* Poſteà: *Cùm omnipotens voluntatem agat inevitabili motu, ut reliquas creaturas, neceſſe eſt eam aliquid velle.* Ac Deum de indurando Pharaone quaſi deliberantem inducens: *Ego faciàm, ut cor Pharaonis me operante & faciente induretur. Scilicet intus generali motu ipſam movebo voluntatem malam, ut ſuo impetu & curſu volendi pergat, nec ceſſabo movere, nec poſſum aliter.* Qui effrenis & impotens agendi & rapiendi modus, perinde tractat humanam voluntatem, ac reliquas creaturas, quæ actum in ſua poteſtate non habent. Luther de ſerv. arbit.

P. Suarium ſuum etiam conſulant Prolog. 1. c. V. intelligent Deum ſtante etiam æquilibrio & integrâ indifferentiâ ex parte intellectus, duplici concurſu impellere poſſe humanam voluntatem. Vno, rapiendo & neceſſitando eam, ut hæretici volunt; altero molliori, & qui non auferat libertatem. Quod melius & profundius capient, ſi cum eruditiſſimo P. Theod. Smiſing, & Thomiſtis ferè hodie in Hiſpania, ſcientiam Molinæ mediam reijciant.

Cùm autem voluntas à Deo neceſſitatur dicto modo, ait Suarez, *actio eſt diſtincta ab illa quâ voluntas liberè agere*

 ſinitur.

finitur. Et quamvis ad utramque actionem concurrant tantùm voluntas & Deus, tamen Deus influit longè diverso modo, & per virtutem suam efficaciùs applicatam; quod satis est ad actionis diversitatem. Cùm enim Deus eminentissimam virtutem agendi habeat, potest ad eundem effectum in termino producendum, magis vel minus influere pro sua libertate; & hoc satis est ut varietur actio quam efficit cum causa secunda; etiamsi fortasse actus seu qualitas per tales actiones producta eadem sit. Non est dubium, quin una & eadem res possit per varias actiones, seu dependentias fieri vel specie distinctas; quod in præsenti non refert, quia satis nobis est, quòd in ipsa actione sit aliqua diversitas, qualiscumque illa sit.

Soto lib. 1. c. 16. de nat. & grat. Optimè etiam Sotus: *necessitari voluntatem à Deo, qui auctor est naturæ nihil vetat, sed tunc auferet illi libertatem in tali actione, movendo illam, ceu brutam pecudem.*

Aliàs autem explicando libertatem, ut Molina, Vasquez & alij solent, Thomistæ clamant, Christum, B. Virginem, & sanctissimos quosque minimè omnium liberos fore; cum adversarij etiam fateantur, tantam posse esse charitatis & gratiæ divinæ in quibusdam abundantiam, ut voluntas creata moraliter non possit resistere. Vnde si consequenter philosophari velint, admittere etiam debent, arbitrij sui æquilibris libertatem, & meritum moraliter everti.

Tridentini autem explicationem (qui unicus ferè adversariorum Achilles est) unde potius, quam ab eruditissimo Dominico Soto petemus, qui sacro Concilo tunc interfuit?

Soto lib. 1. c. 15. De nat. & grat. *Causam*, inquit, *enarravimus decreti nostræ Synodi VI. quo habetur non recipere nos beneficium reconciliationis, veluti inanime organum, sed liberè assentientes & cooperantes, ita ut possimus inspirationem abijcere, ut habetur c. 5. & can. 4.* Causam autem istam fuisse antea dixit, Quòd *Lutherani in operibus gratiæ omnino abnegarent liberum arbitrium.*

Non

97

Non solùm, quia sine speciali auxilio Dei nihil possumus (hæc enim Catholica confessio est) sed quòd ipse totum facit, nobis mere passivè recipientibus.

Quærit Deinde, quo momento voluntas ita libera sit, ut *divinam inspirationem possit abjicere & dissentire, si velit?* Nam *ante divinum concursum* (inquit) *non potest agere, & quando ille adest, ut isti aiunt, non potest non agere.* Respondet autem: *Illo temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber ut tunc agere renuam. Etenim dum liberè moveor, possum in sensu diviso non agere; & tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illâ, & me non agere.*

Dicit ergo Sotus, quòd S. Prosper, ad quem Conc. Tridentini citatio marginalis nos mittit. Deus *ipsum velle*, ait S. Prosper, *sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quâ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret, nullius charitas refrigesceret, nullus patientiâ frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret.* Vbi apertè S. Prosper loquitur de *fide, charitate* &c. per liberum consensum jam susceptâ, quam sine dubio peccator in sensu diviso potest postea abjicere, aut ei dissentire per voluntatis suæ mutabilitatem, quam gratia ei non aufert. Vnde in fide S. Petri id explicans: *Si ergo*, inquit, *defectura erat fides tanti Apostoli, nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas quâ posset in tentatione mutari; & non ita jam perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius.*

S. Prosp. lib. 2. c. 28. De voc. gent.

Igitur si Patres Tridentini doctrinâ istam à S. Prospero sumpserunt, ab eodem etiam volunt sumamus interpretationem. Vnde non aliud volunt, quàm gratiam efficacem posse abjici, postquam primum effectum suum operata est, & voluntatem unà traxit in

consen-

consensum. Deus enim qui dat velle bonum, non semper dat in bono perseverantiam.

Deinde, quia consensus ille voluntatis liber est, idcirco quantum est ex parte & naturâ cōcursûs, quem Deus attemperat humanæ voluntati, mutabilitas voluntatis quæ libero consensui subest, non necessitatur; & licet infallibiliter jam adhæreat illi consensui, non tamen magis necessariò, quàm si, juxta adversariorum sententiam, voluntas gratiam efficacem determinasset ad consensum.

Supponere etiam videntur adversarij, omnem gratiam efficacem, esse vel qualitatem præviam, vel motum indeliberatum, qui ita præcurrat voluntatis consensum, ut reipsa ab eo distinguatur: cùm tamen nulla sit ratio, cur Deus illuminans intellectum & ostendens consensus objectum, non possit voluntatem immediatè consensu libero efficaciter excitare ad ejus objecti amorem. Quo casu sanè, juxta adversariorum interpretationem, falsum erit, quòd liberum arbitrium primam gratiam voluntatis excitantem possit reijcere, præveniendo omnem liberum consensum; cùm ipsa prima gratia excitans non sit sine libero voluntatis consensu; quem habere, & simul non habere (quod fit dum reijcitur) implicàt contradictionem.

Quis denique credat, tot Thomistas, qui Concilio Trid. interérant tam facilè permisisse, ut doctrina S. Thomæ, imò S, Augustini, de gratia efficaci, uno illo Canone everteretur? Et, quod inde ferè consequens est, ut prædestinationis ad gloriam sine prævisis meritis tota œconomia perturbaretur? Si enim voluntas lapsi hominis dominatur gratiæ, & det ei ultimum impulsum in opus pium, sicut in Angelis, & adhuc stante primo homine, oportet, consequenter philoso-

losophando, dicere, electionem ad gloriam hominum lapsorum, sicut Angelorum, ex prævisis meritis factam esse.

Sententiam quoque Iansenij de pœnis parvulorum, sciunt adversarij esse S. Augustini, & utriusque Academiæ Belgicæ. Cui è Lovaniensi Ex. Viri M. N. Guiliel. Fabricius, Ioan. Palud. Guil. Mercerus, Ægid. Baius, Ioan. VViggers, Henric. Rampen, Ioan, Schinckelius, Corn. Iansenius, F. Michael Palud. E Duacensi Barthol. Petrus Lintrensis, Iac. Pollet, Franc. Sylvius, Georgius Colvenerius nuper subscripserunt, & in utraque Schola sæpè publicè cum S. Augustino defenditur.

Affirmat alibi, Iansenium docere (quod tamen alij quidam Theologi etiam sentiunt) contritionem perfectam, ut ab attritione quacumque distinguitur, necessariam esse ad peccati mortalis cum Sacramento remissionem; cùm tamen sæpe Iansenius admittat, & ex professo cum S. Augustino doceat, præter amorem Dei perfectissimum, & super omnia, dari tam in justis, quàm peccatoribus fidelibus, quemdam alium imperfectum, per modum infirmæ & simplicis complacentiæ, qui gignere potest contritionem quandam imperfectam, quæ generales limites attritionis non excedit; ideoque sine Sacramento ad peccati mortalis remissionem non sufficiat, sufficiat cum Sacramento. Quam doctrinam non tantùm ex S. Augustino, sed ex Tridentino sess. VI. can. VI. hausit. Est enim ille imperfectus amor, quo peccatores Deum, *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem; hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum*, & consequenter ante Pœnitentiæ Sacramentum, *agi oportet*. Frustra igitur boni homines se fatigant, ut probent

Thes. pag. 86. contta Ianſenium (ſi Superis placet) *Baptiſmi & Pænitentiæ Sacramenta remittere peccata*: quaſi id unquã negaverit.

Talem autem dilectionem Dei imperfectam, non ſolùm S. Auguſtinus & Ianſenius, ſed Valentia, Leſſius, alijque Auctores Societatis admittunt.

Ratio quoque efflagitat. Non oportet enim amorem ſemper eſſe adęquatum ſuo objecto, & eo ipſum amari, quantum amabile eſt. Eſt enim etiam *quædam imperfectiſſima Dei dilectio*, ait alicubi Ianſenius, *ſeu complacentia, quæ charitatem illam vulgò notam, & ſuper omnia diligentem, prævolat, & omnem inchoat iuſtitiam, iuxta illud Auguſtini: charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt, charitas provecta, provecta juſtitia*. Et diffuſius poſtea: *Falſum eſt*, inquit, *inter laudabilem illam charitatem, quâ diligitur Deus ſuper omnia, vitioſamque mundi cupiditatem, nullum amorem creaturæ rationalis eſſe medium. Datur enim & alius amor bonus, qui nec eſt iſta charitas, nec iſta cupiditas: quo videlicet incipit Deo affici peccator ante juſtificationem per charitatem. Ex iſto enim pietatis affectu, ante juſtificationem, & credit peccator Deo, & ſperat peccati ſui remiſſionem, æternamque beatitudinem, & aliquouſque, licet imperfectè, non ſuper omnia, Deum diligit*. Viderint ergo, quâ fide boni THESIVM conſarcinatores tribuant Ianſenio Propoſitionem iſtam à Pio V. damnatam: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum S. in corde diffuſâ Deus amatur*: cùm tamen doctrinam illam tot argumentis à ſe expreſsè amoliatur.

Ianſ. lib. 4. c. 4. De ſtat. nat. lap.

S. Aug. c. ult. De nat. & grat. Ianſ. lib. 4. c. 17. De ſtat. nat. lap.

Thes. pag. 100

Hoc quoque S. Auguſtini & Ianſenij dogma graviter infamant, & in Parallelo juxta Calvinum & Lutherum ponunt: *Iuxta principium S. Auguſtini, quod immobiliter ubique docet*, ait Ianſenius, *nullum omnino fieri poteſt opus bonum, hoc eſt, ſine peccato, niſi ad finem in quem referri vera ſapientia præcipit, hoc eſt, in Deum propter ſe dilectum*

Ianſ. lib. 3. c. 17. De ſtat. nat. lap.

lectum (non tamen necessariò super omnia) *referatur.* Et hâc ratione probat S. Augustinus adversus Iulianum, Omnia opera infidelium esse peccata : quia vel (ut plerumque accidit) ex proximo objecto , aut circumstantia aliqua vitiante , mala sunt ; vel saltem relatione expressâ aut virtuali ad finem ultimum , qui Deus est, carent.

Hæc autem sententia apud omnes fermè animas pias,in Claustris,& extraClaustra, non tantùm in mente est, sed in praxi. Docentur enim,& student ex professo omnes omninò actiones suas expressè aut virtualiter in Deum referre.

Hæc enim est actio recti itineris , quæ semper oculos habet ad Dominum, ait S. Augustinus: & apertè videtur esse multis locis S. Thomæ. *Causa orationis* , inquit alicubi , *est desiderium charitatis , ex quo procedere debet oratio; quod quidem in nobis debet esse continuum,vel actu, vel virtute. Manet enim virtus huius desiderij in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. *Corinth.* 10. *& secundum hoc oratio est continua.* Alibi quoque sæpè relationem illam in Deum, non consilium tantùm , sed præceptum vocat. Vnde quodam loco breviter & pulchrè : *In hyacinthinis vijs*, inquit,*quæ pallijs Iudæorum inserebantur,significatur calestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adjungi.* Videtur quoque Concil. Arausicani sententia. Nam quod Can. VI. dixerat , *Agere sicut oportet* , id Can. XXV. explicare videtur per,*Operari propter Deum.* Vnde Guilielmus Estius, latè ostendit esse verum & proprium præceptum , omnes saltem fideles, tanquam præceptum fidei Christianæ connaturale, sub peccato obligans; multisque argumentis & citationibus probat, & nihil ambigit hanc esse sententiam S. Thomæ.

S. Aug. epist.81

S.Tho. 2.2.q. 82.a.14

S.Tho. 1.2.q. 102.a.6 ad 7.

Estius 1.Cor. 10.v.31

S. Augustinus verò & Iansenius hoc præceptum

etiam ad infideles extendunt, aiúntque non tantùm fidei, sed naturali lumini intellectûs esse connaturale. Nam summum bonum est veluti centrum, inquiunt, quo naturali suo pondere omnis creata voluntas propendere debet, omnesque motus & actiones suas ita regere, ut eò vadant, aut colliment.

Veluti enim omnia flumina ex mari exeunt, & illuc revertuntur; ita creaturæ rationalis esse, omnisque ejus motus, quia per fluxum quendam & dependentiam essentialem exit ab efficiente primo, ad ipsum etiam, tanquam in finem ultimum debet perpetuò refluere & reverti. Hic enim est naturalis ordo & circuitus, quem lex æterna jubet servari, vetat perturbari. Quod etiam non ignoraverunt Gentiles Philosophi: *Quærimus*, ait Cicero, *quid sit extremum, quid ultimum bonorum: quod omnium Philosophorum sententiâ, tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum verò nusquam.* Hinc quia Epicurei summum bonum in voluptate collocabant, argumentantur apud eundem, *Perspicuum esse, omnes rectas res atque laudabiles eò referri, ut cum voluptate vivatur.*

Cicer. lib. 2. de fin.

Nemo autem hanc creaturæ rationalis tantam obligationem, & naturale tributum, fortasse mirabitur, nisi qui profundissimam, & infinitè à suo principio distantem dependentiam ejus non satis æstimaverit. Quia tamen fragilitati nostræ impossibile est, perpetuò de Deo & ultimo fine, inter tot alia negotia & distractiones, cogitare, sufficit virtualis relatio; sicut, *non oportet*, ait egregiè S. Thomas, *ut qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.*

S. Tho. 1. 2. q. 1 a. 6.

Ab amico quoque, viro gravi & erudito, per litteras admonitus sum, quòd THESIVM Rapsodi imponant Iansenio hæresim Lutheri, Calvini, Chamieri, *Motus concupiscentiæ indeliberatos esse peccata*, contra Patres Tridentinos

dentinos sess. V. qui dicunt, *concupiscentiam vel fomitem, qui ad agonem manet in baptizatis, non nocere non cõsentientibus.*

Sed quàm immeritò hâc invidiâ oneretur Iansenius, Lector statim lecto capite illo ad quod eum mittunt, videbit; nec hic adscribam, quæ amicus ille, justo veritatis zelo accensus, in tantam rei indignitatem jacit. Modestia enim & Christiana charitas frenum injicere motibus nostris, quantumvis justis, debet; nec effrenem THESIVM licentiam imitari volumus, sed docere potius Religiosos humilitatem & pudorem, à quibus doceri deberemus.

Nihil enim aliud toto illo capite Iansenius inculcat, quàm *Omne peccatum concupiscentiæ consentiendo committi. Nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliquod libidinosum desiderium: Non esse usum membrorum malum, nisi quando consentitur concupiscentijs malis.* Hoc etiam indicat ipse titulus capitis: imò, quod magis obstupescas, hæc verba Iansenij adversus frontem suam recitant cæci illi Rapsodi: *Hujus vitæ justitiam hic perfici, quando concupiscentijs, etsi tumultuantibus, non consentimus.* Iansf. lib 2. c. 14. De stat. nat. lap. Thes. pag. 117.

Sed hic finio, nec opus, aut locus est, plura converrere, & totum hoc Augiæ stabulum purgare. Alijs istius fimeti curam relinquo. Quamquam Iansenius non alio sanè quàm se, indiget defensore. Legatur modò attentè, nec semel, liber ejus, omnibus arma ad se propugnandum, affatim in manus dabit. Panoplia enim omni genere armorum refertissima est: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Breviter igitur, Serenissime Princeps, THESES istæ ad supprimendam priorem AVGVSTINI Ianseniani dedicationem, Celsit. Suæ dedicatæ, magnificis in limine promissis, si quis interiora aspexerit, non respondent. *Sepulchrum dealbatum est, quod foris patet hominibus,*

ſpecioſum, intus plenum eſt oſſibus mortuorum. Viros Religioſos, prudentes & eruditos, cum luctu affirmantes audivimus, exiſtimare ſe, infauſtarum THESIVM conditores, *Plus ſcandali vicinis hæreticis, & mali Eccleſiæ Catholicæ, iſto uno libello conciliaſſe, quàm boni, omnibus P. Leſſij libris, & quotquot ab ipſis hic, à condito Societ. Collegio conſcripti ſunt.*

Non eſt igitur, quòd Celſit. Suam judicij & electionis pœniteat, quando Ianſenium ad Cathedram nominavit Iprenſem. Nemo è Belgio a centum fortè & amplius annis, omnes veri Epiſcopi, quas Paulus ad Timotheum & Titum deſcribit, dotes propius in ſe expreſſit, nemo qui majorem apud omnes, qui noverant, ſuſtinuit expectationem.

Vnde totum jam ferè Belgium THESES eorum explodit, R^mi Antiſtites indignantur, & unius Epiſcopi tam illuſtris violationem, totius Ordinis ſui eſſe exiſtimant. Epiſtolam Nobilis Prælati, Lovanium ad notum quendam miſſam, fortaſſè delectabit hic vidiſſe.

N. N.

THESES quas Patres Societatis contra Ianſenij Auguſtinum ediderunt & defenderunt, nuper cum gaudio vidi, ſed certè non ſine ſtomacho & ſtupore legi. Quidquid enim ſit de ſententiarum utriuſque partis veritate, de qua peritiorum virorum cenſuram expectare malo quàm ferre meam, quis non graviter ferat, imò non excandeſcat, videns tanti nominis, tantæ dignitatis, tam raræ eruditionis & vitæ virũ, tam inſolenti verborum acrimoniâ perſtringi, tot convitijs & calumnijs, ijſque adeo atrocibus lacerari ac diffamari, ut in publicè proſcriptum hæreticum atrociores vix ullæ evomi aut excogitari poſſint? Sed boni illi viri audacter jam inſultant mortuo, cujus calamum non amplius pertimeſcunt, Nunc latrant, mugiunt,

giunt, rugiunt confidenter, qui ipso adhuc superstite, vix fortassis ausi fuissent pipire &c.

R^mum^ Episcopum etiam scio, qui THESES istas, tanquam libellum famosum, totâ sua diœcesi, nisi ab alio frigidiori fuisset impeditus, voluit proscribere.

Sentiunt hæc adversarij, ideoque pavidi jam Bruxellę satagunt inhibere, ne calami Academici in THESES suas distringantur. Id est, postquam Iansenium lethali ictu confixerunt, telum evelli, & curari vulnus nolunt. Qui enim sedatiores inter ipsos, THESIVM & causæ suæ turpitudinem jam vident; solumque videntur in defensione perseverare, quia novitia opinio Molinæ de Gratia, à Societate olim desponsata est,& pars major Professorū eam tuetur. Narrant enim ipsi quod juvat audire. *Ferè per idem tempus,* ait Petrasancta, *cœpta Romæ agitari controversia inter Religiosum Ordinem S. Dominici, & Societatem nostram, circa opiniones P. Ludovici Molinæ de concordia gratiæ & liberi arbitrij. Quam sententiam,etsi aliqui, eo quod VNIVS PRIVATI SCRIPTORIS NATA EX INGENIO ESSET, minimè censebant defendendam à Societate universa; attamen ij qui tum præerant, aliter ipsi deliberaverunt: tum quia NOSTRORVM PROFESSORVM PARS MAIOR in Academijs eam tuebatur; tum verò, quia judicabatur in primis idonea ad explicandam Catholicam doctrinam, de libertate ab hæreticorum laqueis.* Quâ prudentiâ, judicent alij. Certè sciebant S. Augustini & S. Thomæ doctrinam, in Ecclesia tenere summum auctoritatis culmen, & ijs qui ab ipsis discessissent, in vicino esse præcipitium.

Silvest. Petrasanct. li. 3 c. 5. vitę Bel

In hoc deinde, aut simile decretum oculos conjecisse videtur Emin. Card. Baronius, dum post narratam Fausti Semi-Pelagiani *ab universo Orbe Catholico* condemnationem, seriâ & altâ voce monet: *Videant quanto*

Baron. An 490 *quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores insurgunt, ut eos confutent, à S. Augustini sententia de prædestinatione recedunt; cùm alioqui arma non desint, quibus adversarij profligantur.*

Veritate quippe, non falsitate obruenda est falsitas. Hæc ejusdem veritatis amore, nullius irâ aut odio, carptim à nobis dicta; non ad refutandas justo volumine THESES, quia nec ipsę Iansenium confutaverunt. Totus enim Iansenij AVGVSTINVS, unius tantùm hujus syllogismi ambitu comprehenditur.

Apostolica Sedes S. Augustini doctrinam de gratia, in his quæ ad dogmata pertinent, suam fecit, totumque quod necessariò cum illis dogmatibus connexum est, virtute approbavit:

Sed pleraque omnia, quæ ex S. Augustino & discipulis ejus, mirâ rerum connexione, novâ & admirabili luce exponit Iansenius, sunt dogmata S. Augustini, aut necessariò connexa dogmatibus:

Ergo omnia illa, saltem virtute, Apostolica Sedes approbavit.

Fran. Suar. prol. 6. c. 6. Major in terminis est Francisci Suarez, & olim preformata à Ioanne II. *S. Augustini*, inquit, *doctrinam secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.*

Consequentia est evidens. Ergo neganda Minor. Quâ legitimè confutatâ, libenter fatebimur, Iansenium in explicando tot annos S. Augustino frustra laborasse.

Igitur S. Augustinum à Iansenio non intellectum, & catenam doctrinæ ejus futilem & falsam nobis concinnasse, ex ipsis S. Augustini scriptis oportet ostendere; aut certè quæ tractavit Iansenius, ad dogmata Augustini nec pertinere, nec necessariam cum ipsis connexionem habere.

Quod utinam præstent, si verum, est. Nihil enim aliud quàm veritatem, qui Deus noster est, & veram humi-

102

humilemque cæli viam, quam olim Augustinus Ecclesiam docuit inquirimus. In Iansenio vitâ functo nihil nobis humanæ spei aut amicitiæ, potentia adversariorum multis formidabilis, adversus quos gratis niti, neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ sit.

Dolent tantum boni, doctrinam, quæ totius vitæ spiritualis fundamentum, & reformationi morum Ecclesiæ tam necessaria, quam certissimò credunt esse S. Augustini, & sine dubio maxima ex parte est S. Thomæ, in uno Episcopo convitijs tantùm, non argumentis opprimi.

Cur non potius R. P. Lessij sui votum & mentem sunt secuti? *Opto, & hortor totis animis*, inquit alicubi, *quotquot ubique sunt sacræ Theologiæ Professores, ut ista diligentissimè excutiant; ut tandem veritas passim elucescat, falsitate detectâ.* Dixerat quippe antè: *Non esse aliquid in universa Theologia majoris momenti, aut dignius acri examine, utpote ex quibus tota nostra religio pendeat.* Vnde postea, *Proderit quoque*, inquit, *hujusmodi examen ad faciliorem veritatis definitionem, si quando S. Sedi Apostolicæ visum fuerit aliquid in alteram partem statuere.* Les. lib. De grat. pref. ad lect.

Gratias igitur fortasse pro laboribus & doctrina, non contumelias, retulisset Lessius Iansenio, nec audaciam suam hîc aut ibi repressam, inimicè tulisset, dixissetque cum humili ad Vincentium Victorem Augustino: *Si me possis docere quod nescio, non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem patientissimè sustinebo*; si quidem ad eam imaginem fuit Lessij animus, qualem nobis nuper Vitę ejus Scriptores figuraverunt. S. Aug. lib. 4. De orig. animæ

Nam revera animus & consilium Iansenij fuit, definitioni Sedis Apostolicæ, aliquâ luce hîc præire, & in intimam S. Augustini mentem, quam ubique nuper S. D. N. Clemens VIII. in Romana illa Disputatione

requirebat, tandem omnibus clariſſimè exponere. Deinde caſuum cõſcientiæ laxitatem, & creſcentem quotidie licentiam, ad veteris & Auguſtinianæ doctrinæ regulam, & arctiorem viam, quæ unica ad cælum ducit, revocare. Denique fundamentum unicum veræ humilitatis & totius vitæ ſpiritualis oſtendere. Pater Vaſquez *dictitare ſolebat*, ait Auctor præfationis Tomi 2. ejus in 1. 2. *Sanctum Auguſtinum in Chriſtiana humilitate & animi demiſſione S. Franciſco minimè inferiorem fuiſſe.* Eos non comparo. Hoc ſtupendum eſt, tantam animi ſubmiſſionem in tam excelſo ingenij & doctrinæ faſtigio potuiſſe conſiſtere. Sed doctrinâ illâ hoc factum eſt, quæ creaturam rationalem in infinitum infra Creatorem ſuum ſic abijcit, nihil boni in ſolis arbitrij lapſi viribus relinquit, ſed omnia gratiæ Dei tribuit: cui ſoli honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Sine hac doctrina & confeſſione, negant Auguſtinus & Ianſenius quemquam verè & Chriſtianè humilem eſſe.

CLYPEVS
ADVERSVS
TELA
R. P. VIVERI.

QVæ QVERIMONIA noſtra adverſus THESES Lovanienſes, apud Sereniſſimum Principem Cardinalem jam depoſuit, ecce nova Echo, MEMORIALE, inquam, Rever. P. Viveri, verbis pænè omnibus ijſdē contrà reſonat, & quæ ex vero in adverſarios jecimus, ipſi falsò & pueriliter regerunt nobis. Ideo TELA INGESTA, REGESTA appellant: miranturque Socij, aut mirari ſimulant, ingenium Auctoris: cujus *ſcopus fuit*, ut ipſe ad Emin. Cardinalem de la Cueva ſcribit, oſtendere *quàm imbellia Tela* QVERIMONIA *contorſerit, quæ ijſdem verborum & vocum telis conficiatur*.

Valde, ſcilicet; adeò ut prudentiores veſtri amici ad lectionem pudore ſubmittant oculos, & repueraſcere dicant Societatem Iubilariam, tam puerilibus ſcriptis.

Non omnia iterùm reſcribemus, ne ſuperfluo labore & tædio patientiam Lectoris oneremus. Nemo enim diu par meretricularum audire ſuſtineat; quarum una ingerat, *Non ego te nuper ſub ſchino peſſima vidi:* altera tantùm regerat: *Non ego te nuper ſub prino peſſima vidi.*

Dixerat autem QVERIMONIA, *Omnes pios & modeſtos obſtupuiſſe Patrum Socie t. ſplendidiſſimum bilum*, quam

in tam modeſtum, pium, & eruditum Epiſcopum auſi ſunt effundere.

Echo Patris Viveri totidem ferè verbis reſponſat, *Omnes pios & modeſtos obſtupuiſſe Patris Societ. ſplendidiſſimum zelum.* Pueriliter ſane, & contra omnium ſenſum. Nemini enim pio & modeſto eorum immodeſtia placere potuit. Totum Belgium, etiam ubi ignotus Ianſenius, adverſus infames THESES perſtrepit, negantq; à cõdita Societate aliquid ab ipſis factũ turpius. Durant tamen frontem, factumque defenſare pergunt. Sed Deus (ſic boni ſperant) ipſorum miſerebitur, & brevi molliet eos, aut franget.

II. Excuſantur à P. Vivero Tannerus & Mæratius, qui ſine ulla Pontificiæ prohibitionis religione de Gratia diffuse ſcripſerunt; quia *Moniti,* inquit, *non rebelles, ſed parati fuiſſent ab opere deſiſtere.* Frigidiſſima reſpõſio. Nec enim incipere debuiſſent, à quo ſciebant, ut deſiſterẽt, ſe poſſe à Pontifice admoneri; præſertim illi qui quartum votum magnificant, quo obedientiæ Pontificiæ ſunt obſtricti. *Si etiam moniti ab opere deſtitiſſent,* profectò obedientiores fuiſſent S. D. N. Romano Pontifici, quàm nuper Ioannes Bapt. Poza S. Romanæ Ecclesiæ Inquiſitioni.

III. Ait deinde, Suarium, *Vt inſignem, quam meretur, in Sedem Apoſtolicam obſervantiam oſtenderet, omiſiſſe expoſitionem congruam Pontificalis decreti,* (Clementis VIII.) *de ſacramentali confeſſione per litteras.* Iterum falsò, & ridiculè. Nam in Tertia Parte Suarij An. MDCXVI. dũ adhuc ſuperſtes eſſet Suarius, *Superiorum conſenſu* editâ, eadem Decreti expoſitio manſit, nec in ulla editione mutatam hactenus (quod ſciam) vidimus. Quàm verò illa Suarij expoſitio *congrua* fuerit, patet ex triplici ejus condemnatione, quæ mox Romæ ſecuta fuit. Sed ad pellendã caliginẽ Lectoris, lucẽ ex hiſtoriola dabimus.

S. D. N. Clemens VIII. An. MDCII. Iunij XX. condem-

demnavit hanc Propositionem, *Licet per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. Suarius qui docebat, *Licitum esse, per litteras absenti Confessario sacramentaliter confiteri*; ut sententiam suam retineret, interpretatus est, mẽtem Pontificis solùm fuisse utrumque membrum simul & copulatim, non verò seorsim & divisim condemnare: ita nempe, inquit, *Vt sacramentũ Pœnitentiæ possit perfici ac consummari inter absentes.*

Hæc est *congrua* illa *expositio*, quam P. Viverus obedienter *omissam*, ait à Suario; cùm tamen hodie adhuc relictam conspiciamus 3.p.tom.4.d.21.sect.ult.in fine.

Congruitas verò *expositionis* ejus expressè confutata est à S. D. N. Paulo V. An. MDCV. Iulij XIV. *Quando maturè discussis his, quæ P. Suarez adduxerat in defensionem suæ interpretationis, & auditis votis Illustrissimorum Dominorum Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta alias fact · à fel. record. Clemente Papa VIII.*

Deinde S. Congregatio, ut hoc decretum Pontificium executioni mandaret, An.MDCV.Iulij XX. decrevit, ut *ex libro Francisci Suarez Iesuitæ Tom.* 4. *ad* 3.*p.* *d.* 23. *sect.* 1. *nu.* 12. *amoverentur infra scripta verba.* Atque ex hac resolutione &c. *Vsque*, in absentia confessoris. Vt etiam *idem P. Suarez corrigeret suum librum, & antequam evulgaret, ostenderet Sacræ Congregationi.* An factum, nescio. Vnum hoc scio, & video, nihil ad diem hanc mutatum, & verba imperata expungi, immota permanere.

Quod fortasse veritus S. D. N. Paulus V. Anno eodem, Augusti XVIII. iterum *decrevit, Ex Tom* 4. *P. Suarez Iesuitæ in* 3. *p. S. Thomæ disp.* 21. *de Confessione, sect.* 4. *Cui titulus est*, Vtrum de necessitate Confessionis &c. *Totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam.*

 Sed

Sed cecinit surdis, si oculis nostris volumus credere. Et hæc est *insignis illa observantia*, quam P. Viverus prædicat, P. Suarium *Sedi Apostolicæ ostendisse.* Quoad doctrinam verò ipsam, P. Ioan. Præpositus nodum hôc cuneo findit.

Præpos. q.4.d.4. de qual confess. Ex damnatione Clementis VIII. *Nihil potest*, inquit, *concludi pro invaliditate Sacramenti; quia Summus Pontifex solùm determinat, non licere ita confiteri. Atque ita solùm damnat & prohibet praxim, nihil verò decernit de invaliditate absolutionis. Quod ipsemet declaravit Cardinali Bellarmino, & Cardinalis significavit Lessio, Aprilis XIX. An. MDCVIII. addens se idem sentire. Scilicet, in prædicto Decreto non agi de validitate vel invaliditate absolutionis; quia solùm dicitur non licere. Hæc omnia à prædicto P. Lessio partim ad me scripta sunt Lovanium, An. MDCVIII. cùm ibi agerem.*

Si hæc Glossa non delirat à Pontificis mente, qui dicit, se illam propositionem, *Ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnare*; quantò probabilius licuit Iansenio, Bullam Pij V. & Gregorij XIII. in qua nulla singularis propositio *falsitatis*, aut *temeritatis* damnatur, eo modo interpretari, quo tamen cum in prohibitionem Pontificum impegisse, clamant THESIVM architecti?

IV. Iansenium, *virum moribus & totâ vitâ integerrimum, Episcopali dignitate fulgentem* vocaveram.

Echo P. Viveri respondet, Patres Societ. *judicari à Pontificibus, viros moribus & totâ vitâ integerrimos, Episcopalium dignitatum renuntiatione fulgentes.*

De *renuntiatione* ista, si offerantur ipsis Episcopatus, non disputo: sanè tamen in Ordine Ecclesiasticæ hierarchiæ non est par fulgor ejus qui contempsit, & qui adeptus Episcopatum; neque proinde par crimen, violasse Episcopum, & Episcopatûs contemptorem.

Probat

Probat quoque, quòd Ianſenium *Thraſonem & Impoſtorem* licuerit appellare, quia ipſe paria fecerat; & Autores quoſdam Societ. vocaverat *maximè glorioſos, & falſorum teſtimoniorum allegatores: hoc eſt Impoſtores*, ait P. Viverus. V.

An in toto illo triplici Tomo Ianſenius vocet *maximè glorioſos*, non recordor, nec puto. *Gloriari* hoc aut iſtud, fortè dixiſſe potuit. Sed longè plenius & acerbius eſt, vocaſſe *Thraſonem*. Interpretari autem quòd Ianſenius eos *Impoſtores* etiam vocaverit, quia falsò Auguſtinum allegaſſe, & verba Pelagij, aut Auguſtini obijcientis, pro reſolutione reſpõdentis, per errorem accepiſſe dicit; nimis mali Grammatici eſt & interpretis. *Impoſtor* enim non appellatur qui per allucinationem & errorem aliud ſuppoſuiſſe, ſed qui veteratoriâ & malignâ mente decepiſſe narratur.

Hoc deinde etiam apertè falſum: *Nemo hactenus*, ait P. Viverus, *Ianſenium hæreticum appellavit, ſed in quoſdam errores non ſpontè, ſed imprudenter incidiſſe.* VI.

Vt quid ergo ſuſpectat illum, quia Hollandus eſt, *ex Patria Deo & Regi ſuo rebelli?* Vt quid dogmata ejus, Parallelis juxta Lutheri & Calvini hæreſes nuper apertè damnatas, quod non ignoravit Ianſenius, componuntur? quare AVGVSTINVS ejus in Infernum Bibliothecæ Societ. Lovanij deijcitur? Quid ſingulæ ardentium THESIVM paginę aliud ſpirant, quàm eum eſſe, ideoque ut hæreticum tractari?

Superbiæ Ianſenij deputat P. Viverus, quòd, cùm videret manifeſto Dei auxilio Opus tam arduum ex voto procedere, dixerit aliquando modeſtè & inter familiarium fabulas, *Operi iſti abſolvendo ſe à Deo creatum eſſe*: cùm tamen P. Viverus, alijque Socij ejus tam multa in Domino glorientur; & in iſto ipſo ad Emin. Cardinalem de la Cueva MEMORIALI, pallium VII.

Platonis

Platonis, soleâ Diogenis egregiè conculcet. Et sanè, si P. Viverus vidisset, quantâ animi demissione beneficium in se illud Dei Iansenius agnosceret, iniquus & malignus Iudex fuisset, si vel levissimâ vanitatis aurâ eum perstrictum suspicaretur.

VIII. Erat enim *In humili S. Augustini officina ad unguem expolita anima*, ut nuper dicebam. Pro quo P. Viveri Echo mihi respondit, *Patres Societ. esse in humili S. Ignatij officina ad unguem expolitas animas.* Et credo equidem, etsi THESIVM animosi & sublimes illi architecti nullum nobis tam profundæ humilitatis specimen dederint.

IX. Iansenium plerumque *tranquillâ & perpetuâ severitate compositũ fuisse* narraverã. Ridicula P. Viveri Echo respõsat, *Non nihil morosum fuisse, sicut in verbis suis*, inquit, *seipsum prodit.* Sed si de verbis facienda conjectura, multum aberrat. Verba ejus non morosa, sed gravia sunt, quæ in molles piorum animos altam impressionem faciunt; ut nemo miretur, si duri quidam tam longè ea respuant.

X. *Si murmur etiam plebis, & Religiosorum diversi Ordinis attendere voluisset*, inquiebam, *plura fortasse potuisset adversus Societatis mores addere Iansenius.*

Echo frigidè eadem remurmurans: *Si murmur etiam plebis*, inquit, *& Religiosorum diversi Ordinis, circa eius libros attendere voluissent Patres Societatis, plura forsan possent adijcere.*

Sed omnium Ordinum hic Lovanij Religiosos appellamus, nisi hæc sint falsa, & pueriliter (dicis ergo) in Iansenium rejecta.

Religiosi enim multorum Ordinum mihi fassi sunt, lectione AVGVSTINI Iansenianí vix posse satiari, & ter quaterve perlectum, gratiam tamen novitatis apud ipsos non amittere. Vellus rore gratiæ divinæ plenum

plenum est, inquiunt, quod quoties premitur, pinguia divini amoris stillicidia semper mittit: quæ sentiunt discipuli, non qui Magistraliter accedunt ad lectionem ejus, alio humore anticipatæ opinionis turgidi.

Addideram quoque: *Vir erat Iansenius tam veritatis amans, inconcussi animi & firmi pectoris, ut Regibus & Principibus intrepidus auderet verum dicere; quibus hodie alij adulantur, aut rerum futilium & caducarum metu auriculas demittunt, nec totum edicere audent quod è Rep. & salute Principum esse sciunt.* XI.

Respondet pallidula Echo: *Patres Societatis sunt viri tam veritatis amantes, inconcussi animi & firmi pectoris, ut Regibus & Principibus audeant dicere, qualis Iansenius sit, quales Ianseniani, nec auriculas demittant &c.*

Qualem Iansenium, auribus Principum insusurrent, satis ex THESIBVS conjectamus. Quàm autem falsò, Deus novit. Catholicæ enim & Romanæ Ecclesiæ in vita tota & morte filius, & assertor fuit invictissimus. *Ianseniani* porro hic nulli sunt, sed Catholici; aut etiam Augustiniani, si vultis: quia in materia ista divinæ gratiæ, *Sancti Augustini doctrinam Romana sequitur & servat Ecclesia*, ait Ioannes Papa II.

Cum etiam dixissem: *Nihil Iansenius à se dicit, sed omnia ex S. Augustino; & tantâ doctrinæ catenatione & evidentiâ, ut* &c. XII.

Pater Viverus perfricat, & audet: *Nihil dicunt Patres à se, sed ea omnia ex Sancto Augustino, aliisque sacris Doctoribus, & tantâ doctrinæ catenatione & evidentiâ Augustini & cæterum sensum ostendunt, ut &c.*

Quo nihil frigidiùs, aut improbabilius reponi potuit. Nam P. Henriquez opinionem Molinæ de gratia

Henriq c. 6. De fin hom. min. *planè contrà S. Augustinum & S. Thomam esse* dicit; Bellarminus, eandem *evertere omnino fundamentum prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus ex divinis literis solidissimè comprobavit.*

Bellar. lib. 1. c. 12. De grat. & libero arbit. Et nonne Molina ex suo, tota Societas ex VNIUS PRIVATI SCRIPTORIS NATAM INGENIO sunt fassi; ideoque (multis prudentioribus & magis eruditis reclamantibus) desponsatam à Societate, quia *ad expediendam Catholicam doctrinam de libertate, ab hæreticorum laqueis, in primis idonea esset?* Quòd reprehendens & mordens Henriquez, *In eum,* inquit, *finē hæc disputant hi Auctores,* Molina, Vasquez, Lessius &c. *ut pro libero usu nostræ voluntatis (quem aliter vix salvari putant circa impletionem præcepti, aut vitationem peccati) dimicare se putent contra impium Lutherum.* Et postea: *Nesciunt,* ait, *aliter contra hæreticos salvare usum nostræ libertatis in exercitio, quàm negando ullum auxilium esse, aut dici præveniens, quod sit causa proxima prædeterminans & efficax nostræ liberæ cooperationis & conversionis; sed esse auxilium tantùm sufficiens aut concomitans, quo homo potest uti, & converti, si velit.*

Henriq c. 4. & 24. De ult. fin. hom.

Ecce fons & origo istius novitatis, ignorantia nempe eorum, qui aliter nesciebant gratiæ efficaciam cum nostra libertate conciliare.

Et tamen, si P. Vivero credimus, Societas hîc *nihil novi à se, sed omnia ex August. alijsq; sacris Doctoribus dicit.*

Istum autē ignorantiæ fontem pluribus ostendit & tangit Ioan. Mariana. *Ab hoc præclaro* (ignorantiæ & imprudentiæ) *fonte,* inquit, *emanarunt illi turbines & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrinæ Antistites, quàm sequi HESTERNA LVDOVICI MOLINÆ COMMENTA. Cujus viri Libellus,* de concordia gratiæ & liberi arbitrij, *ab examine Theologorum*

Ioan. Marian cap. 4. De morbis Societ. & eorum causa.

logorum sacræ Inquisitionis, delatus fuit Romam; ubi modò liberum arbitrium acerrimè contra gratiam pro palma luctatur. Et quamvis lauream reportaret (de quo sapientiores ambigunt) hæc corona multis sudoribus & aureorum millibus Societati staret. Interim, si quis tenerioris animi condonandum putet primis Senatoribus & Proceribus nostri Ordinis, cùm adhuc vix summis labris sacræ disciplinæ & prudentiæ fontes degustassent, non renitor. Solùm expostulo, quòd Religio nostra, DOMESTICÆ SAPIENTIÆ EXPERS, PROPTER IVVENILES ANNOS, noluerit amplecti externa amicorum consilia, quæ non tantùm concertationem cum tam præclaris Athletis dissuaserunt, sed etiam prædixerunt INFELICEM EXITVM: qui semper inposterum timeri debet, quamdiu indocti clavum & habenas Ordinis nostri administrabunt.

Vt autem etiam terreat adversarios, clavam Herculis, & exuvium Leonis subitò corripit, rugitque R. P. Viverus: *Prodeant in campum, nec è cuniculis leporinis loquantur.* XIII.

Quis David tam audax, ut levet fundam adversus istum Philisthæum? Prodibit tamen aliquis, spero, citius fortè, Deo duce, quàm volent, non contra THESES, quæ infamiâ suâ, quam in QVERIMONIA mea ostendi, satis refelluntur; sed statim ubi S. Augustini novam aggredientur interpretationem, & Iansenium à vera ejus mente delirasse, demonstrare conati fuerint. In hoc enim campo & Arena, vera & decretoria pugna pugnanda est; reliqua velitationes tantùm & præludia sunt.

Rident quoque Marci Crassi, cùm THESES illas, quas *insolentissimas*, cùm omnibus Belgij Prælatis & prudentibus appellaveram, ab Echo P. Viveri, *solennissimas* resonari audiunt. XIV.

Verè enim *solennissimæ*, inquiunt, quæ in omnibus,

 non

non solùm Templorum, Monasteriorum, Collegiorum valvis, sed urbium foris, cippis, imò portis: nec tantùm Lovanij, sed Bruxellæ, Mechliniæ, Antuerpiæ, Gandavi, Brugis, Ipris, Cortraci (& ubi non?) intempestâ nocte, ut Libelli famosi solent, affixæ sunt.

Nempè toto Belgio inflanda erat Neomeniæ tuba, & vocandi docti, indocti, viri, feminæ, pueri ad *solemnitatem*, & canendus de Iansenio triumphus ante victoriam.

XV. Conquerebar etiam,, THESIVM *probationes ex Scriptura sacra, Concilijs, Patribus, Scholasticis*, ab adversarijs *perturbatas. Verba, sententias, sensus contorqueri &c.* Eadem omnia in Iansenium remittit Echo: *Verba, sententias, sensus*, inquit, *contorquet*, *mutat*, *conturbat Iansenius, ut bonis Patribus valeat impingere.*

O verè mortua, & Echo *dantis sine mente sonos*, verba!

XVI. Similia quoque ista, quæ impressissimè in eos cadebant, mortuis faucibus regerit in contrarium. *Quæ ex Augustino Iansenius pro se rapit, obscuri ferè quidam textus sunt, quos conjcit, & sibi objcit, at malè explicat.*

Catenam enim perpetuam testimoniorum S. Augustini, à principio Operis usque ad finem, tantâ connexione & evidentiâ deductam, ut omnes, si attentè legant, summopere lucem & concinnitatem admirentur, vocat bonus Pater, *obscuros quosdam S. Augustini textus.*

Addit quoque, *quos malè explicat*. Sed hic campus est ubi expectantur. Et eos magna apud omnes doctos piosque gloria & gratiæ manent, si fontem alium divinæ gratiæ in S. Augustino, quàm repertum à Iansenio, sitientibus nobis ostendere possint.

Quæ de Baio deinde & Baianis regarrit Echo, nugæ

nugæ ſunt, & ubi hanc tertiam QVERIMONIÆ noſtræ editionem legeris, ſpontè diſſilient.

Neceſſitatem conſequentem non deſtruere arbitrij libertatem (de quo nemo dubitat) *nos Compluti defendimus, & è cathedra docuimus*, ait Pater Viverus, *ubi Ianſenius fuit, & nullus fuit* XVII.

Iſthæc tam clara, tamen non intelligo. Cur enim *Compluti nullus fuit* Ianſenius? Æſopus fortè aliquis mihi lepide reſpondeat, quia P. Viverus tunc ibi omnia erat. Sed profectò Salmanticæ, Compluti, & apud alias Hiſpaniæ Academias *aliquis fuit* Ianſenius: cujus prudentiam, eruditionem, eloquentiam, pietatem, & modeſtiam ſummoperè ſunt admiratæ; cui largam etiam opem ſpoponderunt, ne Patres Societatis (quod calidè & enixè tum conabantur) Lectiones Academicas invaderent, & in Cathedram S. Auguſtini nobis Molinam, Vaſquium, & Leſſium intruderent. *Sunt enim Lovanienſes ſtudioſiſſimi S. Auguſtini*, ut teſtatur P. Vaſquez 1.2.d.190. c. 17. Cætera quæ fabulatur, & QVERIMONIÆ noſtræ obſtrepit ſtridula Echo, tædet reſcribere. Pleraque enim apertè falſa, aut vana ridiculaque ſunt. Vt denique iſtud.

Sententiam quoque Ianſenij, inquit, *more Aulæ ſolenniter per Typo-Graphiarium, & Secretarium expeditam, de conſilio quorumdam Doctorum, de Pœnis parvulorum, ita abſolutam & certam, ſciunt non eſſe Auguſtini, Academiæ & Academici.* XVIII

Quid enim credit, aut ſimulat ſe credere? Sententias & approbationes Doctorum Lovanienſium & Duacenſium, *de Pœnis parvulorum* libello Ill^mi D. Conrij additas, per Secretarium unum, more Aulæ expeditas, & Doctores illos, ſine examine, nomina ſua ſubjeciſſe? Nihil ſuſpicione iſtâ vanius eſſe poteſt. Nam ſinguli Doctores ſpeciali & ſuo elogio libellum, & ſen-

sententiam S. Augustini, magnâ styli & rei diversitate extollunt, non unâ communi laudatione, in quam universi nomina sua conjecerint.

XIX. Hoc etiam in Iansenij invidiam cõijcitur: Ministellos aliquot Batavos sibi congratulatos fuisse, quòd ad sua castra Iansenius accessisset. Quid faciemus, mi Pater? Arminiani Remonstrantes non tantùm dicunt, sed etiam scribunt se Molinistas, Gommaristę Contra-Remonstrantes se Thomistas esse. Hæretici, & malæ mulieres, quidquid in buccam venit, solent effutire.

XX. Sed quantâ etiam conscientiæ securitate, de Libello, seu Indiculo Bruxellæ in manus Nobilitatis sparso, (dum MENDA ejus recogito) interrogat bonus Pater? *Quis hic Libellus?* infit. Dixi nuper XII. Articulorum, sed jam video plurium esse, mi Pater. *Cujus?* Nescio: contra vos tamen est præsumptio. *Cui datus?* Iam dixi: in manus intrusus Bruxellensi Nobilitati. *Quid continet?* Hæreses & errores affictos Iansenio, & pleraque quæ THESES continent.

A quo promanavit? Neque hoc scio. Sed omnes etiam simplices & minimè suspiciosi, à vobis manasse suspicantur.

XXI. Pari interrogandi ferociâ innocentiam suam apud Emin. Cardinalem de la Cueva tuetur, cùm dixissem, *Satagere jam pavidos Bruxellæ, ne calami Academici in THESES eorum distringerentur.*

Sed nunquid satagimus, inquit, *apud aliquod Concilium? DD. Præsidem & Cancellarium? Nunquid in Aula apud Ministrum? Nunquid & apud ipsum Principem? Celsitudinem appello. In qua Curia? Nunquid Ecclesiastica?* Ita, mi Pater. Perge tamen interrogare. *Apud Illustrissimum Archiepiscopum, aut Reverendissimum Pro-Nuntium?* Apud utrumque: & videbimus an ausus sis negare.

Finio

Finio tandem, ſed in triplici illo fine & ſcopo in quos famoſæ THESES dicunt Ianſenium, cùm AVGVSTINVM ſuum ſcripſit, aſpexiſſe. XXI.

Primum, inquiunt, *Propoſitiones aliquot cujuſdam ſuperioris ævi Theologi, à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas ac damnatas, Scholis & pulpitis voluit reddere.*

Vaniſſimus ſcopus: quem ubique facto ſuo & ſollicitudine refutat Ianſenius, dum tanto ſtudio ſuas & S. Auguſtini Propoſitiones, cum Vaſquio, Toleto, Theologiſque alijs, ſic moderatur & explicat, ne valeant in cenſuras illas Pontificum impingere.

Secundò, inquiunt, *præcipuos Societatis noſtræ Theologos, Bellarminum, Molinam, Valentiam, Suarez, Vaſquez, Leſsium, alioſque hæreticis noſtri temporis hactenus ab Eccleſia oppoſitos & formidabiles, in contemptum adducere.*

Itàne verò, viginti duobus ampliùs annis in Opus illud arduum & difficile incubuit Ianſenius, ut odium in Societatem exſaturaret, & Theologos ejus in contemptum adduceret? Et quidem moriens, ac jam jam Iudici ſuo ſiſtendus, deteſtabilis hujus animi executionem ultimis tabulis tam ſeriò & ſollicitè auſus eſt commendare? Eſtne hæc charitas fraterna, mi Patres, quę non cogitat malum? Quis enim, niſi de impijſſimo, & palam Atheo, hoc auſit exiſtimare? Virum præclariſſimum, multorum, & maximè familiarium quæ intima noverant, opinione ſanctum, factâ generali peccatorum exomologeſi, inter ſuſpiria & lacrymas, ut olim S. Auguſtinus, morientem tam crudeli ſuſpicione vulnerare? Propter hęc & ſexcenta alia, quibus infames illæ THESES turgent, & defendere vult ſuis TELIS P. Viverus, omnes boni judicant, tanquam *Libellum famoſum*, toto Belgio proſcriben-

scribendas esse; & cæteris RR. Antistitibus nuper præivisse dicitur Reverendissimus Episcopus Tornacensis, amoliendo conspectum & memoriam earum totâ suâ Diœcesi.

Si enim anno proximè lapso Vniversitas Viennensis *condemnavit & proscripsit infamen libellum Eugenij Lavandæ (* id est, P. Laurentij Foreri Iesuitæ Dilingani *) contra astrum inextinctum R. P. Romani Haij, Ordinis S. Benedicti, quia quamplurimas contumelias & scommata in eundem P. Romanum, aliosque viros Religiosos, contra bonos mores, & debitam modestiam contineret*; quid, non tantùm Vniversitates, sed Reverendissimi Episcopi, Concilia, & Parlamenta de THESIBVS illis debent, quæ tantæ eruditionis, tam illustris & sanctæ apud omnes famæ Episcopum, tam atrocibus suspicionibus lacerant, tot contumelijs & scommatibus Sacrosanctas Infulas conculcant?

Tertiò addunt, *Id eâdem operâ agit, ut adversus propositiones Patris Leonardi Lessij, censuram aliàs à quibusdam Doctoribus Theologis attentatam resuscitet: adeò ut eas ille, vel qui Auctor est Indicis, ab Academia Lovaniensi ac Duacensi proscriptas dicat. Cùm tamen Sixtus V. Pontifex Lessij Apologiam pro suis sententijs compositam, & Romam missam legerit, judicioque suo gravissimo & maximo approbaverit, easdemque sententias SANÆ DOCTRINÆ articulos appellarit.*

De censura illa resuscitanda non valde sollicitus, nec tanti æstimavit Iansenius. Interim verissimum est, Propositiones Lessij à duabus illis Academijs, gravi censurâ notatas, & decreta utriusque Academiæ, quæ in multorum manibus sunt, id apertè testantur. Sixtum verò Quintum Propositiones Lessij *sanæ doctrinæ* elogio decorasse, pernegamus, aut Henriquez vester, alijque Scriptores manifestè mendaces sunt.

Nam

Nam ille de *Prædestinatione ex prævisis meritis* ſcribens, ait ſententiam illam *damnandam notâ temeritatis*, *& eſſe planè contra Auguſtinum*, *QVEM PATRES IN CONCILIIS*, *& major meliorque pars Theologorum antiquorum*, *& torrens Recentiorum ſapientum ſequitur*, *in omni ferè Academia Orbis Chriſtiani.* Et addit deinde: *Quidam doctus prædicavit in Academia Lovanienſi oppoſitum*, *CVM MAGNO SCANDALO ACADEMIÆ: & re ad Sixtum V. Papā delatâ*, *SVSTINVIT SVÆ TEMERITATIS ACREM REPREHENSIONEM.*

Hoc nempe eſt *graviſſimum Sixti V. judicium*, *quo propoſitiones Leſſianas* (quarum hæc erat quinta, *Homines non ſunt immediatè & abſolutâ voluntate deſtinati ad gloriam*, *ante omnem prævisionem meritorum*) SANÆ DOCTRINÆ *articulos appellavit.* Itane *acrem temeritatis reprehenſionem*, approbationem & *ſanæ doctrinæ* encomium interpretamini? Simili,credo,interpretatione, narrabant hîc nuper Patres Societ, viro gravi, & inter Academicos primario,in Diſputatione nupera Romana, Clementem VIII. in damnationem Thomiſtarum, niſi morte præventus eſſet, propenſum fuiſſe. Additâ etiam causâ acceleratæ mortis ridiculâ; Pontificem mœrore defeciſſe, quòd in Concordia gratiæ & liberi arbitrij, myſterium Thomiſticum *ſenſus compoſiti & diviſi* nequiret penetrare.

Cùm tamen ipſimet Hiſtorici Societatis ſcribant: Clementem *alieniore animo fuiſſe à doctrina Molinæ*; & cùm apud animum ſuum conſtituiſſet controverſiam pro PP. Dominicanis definire, divinâ manu interpretantur (ut in commodum & rem ſuam ingenioſi ſunt) fuiſſe impeditum, & ne faceret, è vivis ſublatum. Hæc tibi, lector, & plura R. P. Guilielmus Camerarius Congregat. Orat. narrabit, ex Petraſancta, aliiſque Auctoribus Societatis *c. 6. Antiq. de Novitate Victor.* Aut ſi teſtem vivum & ſpirantem mavis, adi

gravissimum & eruditissimum senem R. P. Hilarium à S. Augustino Carmelitam Discalceatum Bruxellæ, qui Romæ tunc erat, *Testis oculatus, & qui curiosè admodùm*, inquit, *conabar expiscari ex ipsismet Consultoribus & Patribus, qui intererant Disputationi, quidquid ibi ageretur.*

F I N I S.

Lectori.

POst primam editionem *Querimoniæ* nostræ, cui Theses Theologicas *Augustino Ianseniano* symbolas, apud Patres Minoritas Hibernos à quatuordecim propemodum annis solemniter defensas, ad calcem adjunximus; sparsus est ab æmulis rumor, Theses istas ab ipso Iansenio digestas fuisse & Minoritis Hibernis, ut publicè propugnarentur, obtrusas. Et quanquam in secunda editione ejusdem nostræ *Querimoniæ* figmentum istud sufficienter refutatum esse, omnes æqui arbitri pronuncient; nihilominus Auctor nuperi *Memorialis* in primo limine sui rescripti, eandem calumniam denuo reficicat; non obstantibus rationibus in secunda nostra *Querimonia* adductis (quas eum non latuisse, perspicuum est) & multiplici allegatione solidatis. Quapropter visum est hoc loco appendere authenticum testimonium præfatorum Patrum Hibernorum Minoritarum; quo totam machinam calumniosi illius figmenti, apud te (candide Lector) ruituram confidimus. Verissimè ad Augustinum de Massiliensibus olim scripsit Hilarius: *Parum prodesse existimo rationem te edere, nisi & addatur auctoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosi coram non possint.* Rationem in *querimonia* dedimus: auctoritatem hic subjungimus, qui non dubitamus TE plus delaturum, quam vanis & è suo celebro confictis æmulorum suspitionibus. Vale.

Ill^{mi} R^{mi} Eximij, Clarissimi Domini & Benevoli Lectores.

NOs Collegij S. Antonij de Padua Lovanij Patres; Intelligentes, cum veritatis dispendio & ejusdem Collegij injuria, fabuloso aliquorum rumusculo, in vulgus sparsum, Theses quasdam Theologicas, ad mentem S^{mi} Doctoris Ecclesiæ Augustini in eo defensas, Præside P. Iohanne Barnawallo, & Respondente P. Patritio Brinan anno salutis humanæ 1627. non Studiorum Collegij partum, sed Iansenianı Operis (jam fæliciter adolescentis) prodromum embrio-

embrionem. Itaque dictas Theses fuisse compositas à R. D. Cornelio Iansenio Episcopo Iprensi, & ad ejus instantiam, per Patres nostri Collegij, publici Iuris factas: Ita præcurrentibus suæ Doctrinæ libamentis, voluisse Iansenium explorare hominum diversa sentientium animos, cognoscere affectus, & ex Præmissarū admissione, vel resputione, Consequentiarum notiones conijcere; & inde difficultatum Operis, quod in S. Augustinum meditabatur, providere remedia. Collegio nostro parum honorificam hanc aspersionem, imo in præjudicium sinceritatis, quam profitemur, & simplicitatis, in qua, divina obstetricante gratia, ambulare conamur, judicantes, Præsentium tenore Mundo testatum volumus, (tactis etiam sacrosanctis Euangelijs) Theses præfatas, nec conceptas, nec compositas, nec suggestas à D. Iansenio; nec etiam à nostris Patribus evulgatas, vel impressas, ad ejus suasionem, instigationem, vel aliqualem interventionem; imò nos opinari, Iansenium tum Lovanio abfuisse. Testamur etiam totam illam Thesium materiam, de Gratia & Prædestinatione fuisse dictatam, & à Discipulis in nostra Schola exceptam, (extare etiam apud nos ipsissima Dictata tum scripta) & à Patre Iohanne Barnawallo laboratam ex Operibus S.^mi Augustini, & Ill.^mi Archiepiscopi Tuamensis, P. Florentij Conrij Ordinis nostri, continui S. Augustini per plura lustra profundissimi Inspectoris.

Et quid quæso aliud esset, nos ad fabellæ illius male factæ tenorem, Conclusiones defendere & evulgare, quàm Vniversitatem mendacio decipere, reliquis etiam, falsæ compositionis indice, imponendo; vanitatem, quam pro Religiosi Status exigentiâ execramur, aucupari? Supposititijs foetibus, & fictis partubus, mendacio parentare? Et absit, ut illud S. Au-

Aug. contra menda. c. 4. gustini ignoremus: *An aliquando bonum est mendacium? vel aliquando mendacium non est malum? Cur scriptum est, Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Etiam Spiritus Sancti Eccle-siast. 20. illud esse novimus: *Mores hominum mendaciū sine honore, & confusio eorū cum ipsis sine intermissione.* Etiam & illud: Eccle-siast 4. *Et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Qui nos, tali nobis afficto mendacio, honore (secundū sacrum eloquium) vacuos, confusione plenos voluerunt, Deum habent Iudicem suæ intentionis, & nos apud eum Intercessores, ut eis misericorditer indulgeat, si quid ex ignorantia deliquerunt. Hoc vovemus, & Gratiæ Christi augmentum precamur. Dedimus Lovanij in Collegio S. Antonij de Padua Recollectorum Hibernorum. Die 24. Maij 1641, & proprijs manibus subscribentes Sigillum nostri Cōmissarij ad ejus voluntatem, imprimi curavimus.

Fr. Hugo de Burgo FF. Minorum Hibernorum per Germaniam & Belgium Commissarius.
F. Bernardus Connius Guardianus.
F. Michael Gromleus Collegij Præses.
F. Daniel Clery Vicarius.
F. Patricius Brinanus Sac. Theol. Lect.

Locus Sigilli.

CENSVRA.

PRo veritatis & Innocentiæ justâ defensione veritas manifestanda est, nec errores dissimulandi. In quem finem humilis & supplex hæc Querimonia, cum inserta Spongiola Mendorum, & Clypeo adversus Tela R. P. V. alijsque adiectis in lucem mitti potest. Dat. Lovanij 24. May Anno 1641.

IACOBVS PONTANVS Sacræ Theol. Doctor, Apostolicus & Regius librorum Censor.